BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
31
7 E
19

Digitized by Google

Digitized by Google

PRINCIPIORUM
JUSTITIÆ, ET JURIS EXERCITATIO THEOLOGICA:
SIVE
DE RERUM DOMINIO
DISSERTATIONES QUATUOR

SUB AUSPICIIS

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI D. D.

ARNALDI SPERONI
DE ALVAROTTIS

Benedictino - Caſinenſis,

Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia

EPISCOPI ADRIENSIS,

Prælati Domeſtici, ac Pontificio
Solio Aſſiſtentis.

RHODIGII MDCCLXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA JO: JACOBI MIAZZI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google



ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE.

Niſi me ſumma humanitas Tua cum ſingulari litterarum amore conjuncta magnopere excitaſſet, Præsul Amplissime; nunquam profecto auſus eſſem has qualeſcumque Exercitationes

Tibi potiſſimum inſcribere. Etenim quum mihi obverſaretur ante oculos & altiſſimus, ad quem evectus es, Dignitatis gradus, & antiquiſſimi generis Tui ſplendor maximus; vix quidem videbar ſatis ſive modeſte, ſive prudenter facturus, qui pro tantula re tanti Nominis patrocinium quærerem, atque ſummum Virum Episcopali ſollicitudine, hoc eſt innumeris & graviſſimis curis diſtentum impeditumque alieno tempore interpellarem. At dum cogito Te in una virtute, ac eruditionis ſtudio ſpem omnem laudis collocaſſe, atque illud curare imprimis, ut quos nobilitate generis, & honoris amplitudine ſuperas, eoſdem Tibi clementia, manſuetudine, omni denique morum ſuavitate devincias; erigor animo ſperans fore, ut hoc quantulumcumque eſt munus, litterarium certe munus, benigne a Te, ac humaniter accipiatur. Acceſſit & illa conſideratio, nimirum hoc genus diſciplinarum, quod ad conformandos mores, Chriſtianamque inſtitutionem pertinet, non poſſe non eſſe Tibi jucundiſſimum: ut proinde quidquid hiſce diſſertatiunculis deſit & ingenii & copiæ (deeſt autem plurimum), argumenti ſal-

tem

tem utilitate compenſetur. Habent diſciplinæ cæteræ amatores alios: ſed doctrina morum, illæ videlicet præceptiones, quibus officia continentur, EPISCOPOS quaſi jure ſuo habet amatores ſui. At quos amatores? qui ſimul ejuſdem ſint judices, aſſertores, & vindices. EPISCOPORUM enim eſſe ſacræ doctrinæ depoſitum cuſtodire; ipſorum eſſe *vitæ recludere paſcua, & fontes ſacros*; in hoc ſibi incumbendum maxime, ut quaſi intento digito demonſtrent, hæc ſana, illa noxia ſunt, hic Chriſti bonus odor eſt, illic idem deſideratur; ille ſolus neſciat, qui Chriſtianæ Gregis Paſtores ignoraverit. Quare quum hoc TUUM munus, VIGILANTISSIME ANTISTES, hæ partes ſint; quidquid hoc eſt in re morali ſive laboris, ſive induſtriæ, TIBI potiſſimum nuncupandum fuit. Ad quem enim, niſi ad TE, nimirum ad Paſtorem de paſcuis referendum erat, ut probares ſi admodum innoxia; ſin, quod minime vellem, inſalubria viderentur, abjiceres eadem atque damnares? Quod quidem eo facilius præſtare potes, quo TE ſedula juxta atque indefeſſa virtutis exercitatio jam inde a multo tempore ad iſta dijudicanda

aptiorem reddidit. Nam quod de artibus univerſim præclare ſapienterque dixit Orator ille, eas ſine aſſiduitate non multum juvare, id habet imprimis locum in doctrina morum, cujus præceptiones, niſi ſiquis continenti ſtudio ad exercitationem & uſum accommodaverit, nunquam ad judicium de his rebus ferendum ſatis idoneus haberi poterit. Monebat me locus, ut de Tuis virtutibus plane & ſincere ex animi mei ſententia dicerem. Omnino multa mihi anteacta a Te pie religioſeque vita in illis Cœnobiorum receſſibus ad dicendum de Tuis laudibus ſuppeditaret: ut illa in præſentia miſſa faciam, quæ in luce modo atque oculis omnium poſita ſunt. At manum de tabula: vereor enim, ne ſi plura dicam, Te ipſum ignorare videar. Faciam igitur Tua cauſa, ut temperem tantiſper mihi: parcam modeſtiæ Tuæ. Præſertim quum notiſſima omnibus duo illa ſint, e quibus conjecturam de cæteris facere cuique liceat. Primum eſt Majorum Tuorum in illo religioſæ vitæ inſtituto præclara de Te concepta exiſtimatio. Alterum eſt Clementis XIII. P. M. de Te Tuisque dotibus graviſſimum judicium. Ab illis

Tibi, quaſi veterano militi, ea provincia demandata eſt, ut in ſacra militia Tyrones piis inſtitutionibus ad virtutem omnem informares: in quo graviſſimo munere primum ſex continenter annos Venetiis, deinceps Romæ erecto ad D. Paulum novo tyrocinio diligenter verſatus es. Summus vero Chriſtianæ rei moderator Clemens Te digniſſimum habuit, cui committeret paſcendum tutandumque gregem Adriensis Diœceſeos, quam Diœceſim & antiquiſſimam, & ampliſſimam quinque omnino e Purpuratorum Patrum numero Episcopi, ut de aliis taceam, unius paullo amplius ſæculi ſpatio nobilitarunt. Quod ſummorum hominum de Te judicium majus profecto eſt, quam ut addi a me quicquam aut debeat, aut poſſit. Præterquamquod hæc tam eximia teſtificatio, hæc honoris ac dignitatis acceſſio non tam fuit exornandi cauſa, quam commendandi ac prædicandi Tui: qui quum in ea familia natus eſſes, ubi ne Tuum quidem Nomen audire poteras, quin ad præclara quæque excitareris, perfectiora tamen cogitans, plenoque gradu ad divina properans in Clauſtra convolaſti, atque eam vitæ Tuæ

rationem inſtituiſti, quæ acceptam a majoribus gloriam eximiis virtutibus illuſtriorem reddidit, priſcam vero TUI generis nobilitatem nobiliori ampliſſimæ dignitatis TUÆ ornamento condecoravit. Neque enim me latet, quantam ſibi famam domi foriſque comparaverint Majores TUI. Namque ut illos prætercam, qui bellica gloria claruere, inſignes viros FRANCISCUM TUÆ familiæ Principem, ASCANIUM, JACOBUM, SPERONIUM; qualis quantuſque in pacatiore illa litterarum exercitatione fuit Eques ille SPERONIUS cognomento *divinus*? Quantum in arte ſua excelluit BERNARDINUS, qui in LEONIS X. P. M. aula Medicum egit? Longum eſſet de ſingulis dicere. Unum prætermittere non debeo, quem honoris cauſa nomino, BERNARDINUM, illuſtrem virum Patrem TUUM, qui Proavorum TUORUM veſtigia premens, & ipſe Juriſprudentiam coluit, & Doctorum collegio eximia honoris prærogativa adſcitus eſt. Atque iſti plerique omnes litteras adamarunt, Juriſprudentiam imprimis, plurimi eaſdem in Academiis profeſſi ſunt, multi etiam publicis muneribus obeundis illuſtriora ſemper SPERO-

NIA-

NIANÆ GENTIS ſtemmata reddidere. Nec defuerunt e familia TUA illuſtres Viri, qui ad capeſſendum BENEDICTINO-CASSINENSE INSTITUTUM viam TIBI præirent, nimirum VINCENTIUS, GERARDUS, & qui Abbatis dignitate auctus S. JUSTINÆ Cœnobio præfuit GREGORIUS Patruus TUUS. Hæc TU, INCLYTE MODERATOR, exempla domi; præclariſſima illa quidem, ſed exempla tamen, quæ ut dedecori inſerviunt ſi negligantur, ita ad præclaram gloriam tum ſolum valent, quum ea quis non tam celebrare, quam imitari, nec imitari modo, ſed illuſtriori quodam virtutum ſplendore exornare ſtudet. Illa non tam TUA, quam TUORUM; ea quæ TUMET præſtitiſti longa virtutis exercitatione, hæc TUA ſunt. Quod ſi quis earum Inſtitutionum, quæ ad bene beateque vivendum traditæ ſunt, non modo diligens ſectator fuerit, ſed pietatis ac religionis cuſtodiæ litterarum etiam ſtudium adjunxerit; is profecto digniſſimus haberi ſolet, qui de Chriſtianæ Ethicæ præceptis ſententiam ferat. TE ut ego hujuſce Opuſculi ſive cenſorem, ſive, quod malim, Patronum non adſciſcam, qui ea doctri-

na inſtructus es, eo teneris Chriſtianæ veritatis amore, ut ſeponere verum a falſo poſſis; veritatem tueri & poſſis & velis? Quippe non in virtutis modo, ſed in litterarum etiam ſinu & complexu natus atque educatus es. Sive enim Patriam conſidero, Patavium illa eſt, Urbs nimirum eruditiſſimis hominibus liberalibuſque ſtudiis affluens; ſive Familiam de Alvarottis ſpecto, eam & fuiſſe, & eſſe ſcientiarum domicilium, cum Majores Tui, quos ſuperius commemoravi, tum florentes modo Germani Fratres, alter Patavinus Canonicus, Vir utriuſque juris conſultiſſimus, atque ſummæ eruditionis laude valde conſpicuus, e Capuccinorum familia alter, magni nominis Orator, argumento ſunt; ſive denique cogito Benedictinum Institutum, quanta iſtud doctrinæ laude jam inde a multis ſæculis ad hæc uſque tempora claruerit, nemo, niſi hoſpes & peregrinus in litteraria Republica, ignorare poteſt. Tot excitatus exemplis amore pene hæreditario dixerim, ita litteras amplexus es, ut vel in ipſis, quibus in præſentia diſtraheris, graviſſimis curis, quidquid otii ſupereſt, in ſacratiora ſtudia conferre

ſole-

ſoleas. Hinc illæ in publicum commodum evigilatæ noctes. Teſtes ſunt jampridem a Te typis evulgati libri, atque illud maxime Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ a Celebr. Epiſc. Godeau conſcriptum utiliſſimum opus, cui tantopere inſudaſti, ut Litterariæ Reipublicæ italo ſermone interpretatum dares eruditiſſimis animadverſionibus auctum, & illuſtratum. Aureum plane opus, quod & Tibi perennem conciliat gloriam apud celebriores Italiæ Academias, qui Te in ſociorum numero cenſeri voluere, & quod maximo etiam ornamento erit Bibliothecæ illi Tuæ, quam pretioſiſſimis MS. codicibus inſtructam nova voluminum ſupellectili exornare in dies ac locupletare pergis.

Hæc habui, quæ dicerem, ut rationem aliquam redderem conſilii non tam mei, quam omnium illorum, qui, quam in communem Tuarum ovium utilitatem in rerum Moralium ſtudiis conferendis impendunt operam, eam ut Tibi, Ampliſſimo omnium noſtrum Pastori ac Præsuli univerſi Cætus nomine ſiſterem, ac nuncuparem, auctores atque hortatores fuerunt. Accipe ergo, Illustrissime Domine, hoc, quantulumcumque eſt,

ſi non eruditionis, at ſaltem obſervantiæ erga Te noſtræ monumentum aliquod; nec tam quid Amplitudini Tuæ conveniat, quam quid præſtari ab imbecillitate Noſtra poſſit, Tibi conſiderandum putes. Omnia iſtic, fatemur, vulgata, & protrita: neque enim animus fuit, certe non debuit, dicere nova, ſed nove. Nimirum *condienda iſta ſunt* de Auguſtini ſententia *ob faſtidium plurimorum*. Quæ ſi Tibi & harum diſciplinarum amatori, & Cenſori legitimo, & quod caput eſt, Pastori Noſtro placuiſſe viderimus, nulla cauſa erit, cur valde timeamus, ne aliis diſplicitura ſint: quin imo faces, ac ſtimulos ad alia minus fortaſſe incondita & inſulſa, nobis a Te addi non obſcure intelligetur, qui perhumaniter acceperis rude iſtud, atque imperfectum opus. Sit hoc humanitatis Tuæ, ad quam Te finxit natura ipſa, ut opuſculum ex illa umbra privatorum hominum in publicam lucem prodire volens, atque incertam judiciorum aleam experiri timens, præſidio fulciatur Tuo: Noſtrum erit, niſi plane ingrati ſimus, & tanti beneficii memoriam conſervare, & ſi fieri poſſit, pro re nata uſuram etiam cumulatiſſime reddere.

Dum

Dum vero Tibi, Amplissime Præsul, nos, noſtraque devovemus, fauſta ac felicia omnia a D. O. M. precamur Amplitudini Tuæ.

Adriæ

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Dominationi Tuæ & ſuo, & univerſi Cætus nomine

D. O. C.

Irenæus Technophilus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Optimus & dicendi, & agendi Auctor, ac Magiſter D. Hieronymus, puerilia, *inquit* (a), ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia docere, quod ignores. *Præclare iſtud quidem, ut cætera. Sed cum in omni diſciplinarum genere hoc valet plurimum, tum vero maxime in doctrina morum, ubi non declamatorem de ludo, non agyrtam aliquem, ac circumforaneum quærimus, ſed eum, qui principia Chriſtianæ Ethices rite calluerit, & exinde enatas conſecutiones. Hic enimvero quid honeſtum, quid turpe ſit, quid liceat, quid non, quidnam præſidio legum fulciatur, quidnam ſecus, inſtruere alios, atque edocere poterit. Quod ſi Chriſti Adminiſtros, Sacerdotes imprimis abundare oportet præceptis divinæ hujuſce Philoſophiæ* (labia *enim* Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirent ex ore ejus (b), *quid de illis dicendum eſt, qui in ſacratiori Pœnitentiæ foro & diſtinguere inter lepram, & lepram, & oſtendere ſalutis viam, & medicina efficaci animorum tenentur curare vulnera? Graviſſima hæc ſunt Confeſſariorum*

mune-

[a] *Ep.* 53. *ad Paulinum.* [b] *Malach.* 3.

munera, quæ bene exequetur eorum nemo, niſi qui prius in doctrina morum diu multumque verſatus ſit. Nocturna diurnaque manu verſanda ſunt Auctorum volumina, ſententiæ in examen vocandæ, conferenda conſilia. Quare operæ pretium rerum Moralium ſtudioſos facere exiſtimamus, dum ſtatis diebus conveniunt, ut de rebus ad hæc ſtudia pertinentibus inter ſe conferant, non ſine ingenti & temporis, & laboris compendio: maxime ſi accedat certa quædam methodus, qua ad capienda difficilia iſta poſſit via reddi planior, atque expeditior. Noſtra, ut de ea jam dicam (de tota enim ſtudiorum noſtrorum ratione edoceri Te volumus) hæc fere eſt. Principio in uno aliquo ex iis Auctoribus, qui univerſam Theologiam Moralem paucis complexi ſunt, legitur argumentum illud, quod in præſentia diſquirendum eſt. Continuo diſcutiuntur Auctoris principia, & opinionum, quibus adhæret, fundamenta ſingula. Cuilibet intercedendi æqua poteſtas eſt; conſuluntur Auctores, quos quiſque produxerit; difficultatibus occurritur. Omnibus hinc inde diſcuſſis illi ſententiæ adhærere licet, quam tibi perſuaſerit ſive ratio, ſive auctoritas. Atque hæc methodus eſt, cui perpetuo inſiſtimus.

Sed de Auctorum, atque opinionum delectu nonnulla explicatius dicenda ſunt. Ac imprimis

nemo

nemo noſtrum ullius addictus eſt jurare in verba magiſtri : hinc nulli privato Auctori adeo tribuitur , ut ſine ratione frangat nos hominis auctoritas . Habemus hac in re D. Auguſtinum ducem (a). *Ex Auctoribus tamen ii nobis maxime probantur , qui ſunt hinc uſque ad ſidera noti , Claſſici nimirum . Veteres , an neoterici illi ſint , nobis perinde erit , ſi modo in Claſſicorum cenſum referri poſſint . Itaque graves , ſinceros , veritatis ſectatores , & ſi qui ſunt , qui ad doctrinæ copiam curandarum etiam animarum experientiam adjunxerint , hos amamus ; proletarios , & capitecenſos , quandoque fuerint in aliqua parte utiles , non admodum contemnimus . Si quem vero agnovimus ſtudiis partium tranſverſum agi , neglectiſque rationum momentis conviciorum plauſtra in alios exonerare , hunc vix dignum putamus , qui legatur : quod ſi & ipſe interdum legendus ſit , caute ut id fiat volumus . Nam quos delectant ſcriptiones imbutæ lycambeo felle , ſive , ut verbis utar Cl. Muratorii* (b) , dentatæ chartæ , *eos facilius inficiunt . Sed avertenda diligenter hæc lues eſt , ſi modo velimus Summorum Antiſtitum præceptis obtemperare* (c) , *videndumque , nequid injurioſe , illiberaliter , acerbe ſive dicatur , ſive*

ſcri-

[a] *Ep. ad Fortunatianum* . [b] *De Ingen. mod. Praef.*
[c] *Vid. Decret. Alex. VII.* 1679.

ſcribatur . Etenim de privatis controverſiis , quæ Theologorum placita ſunt , non Eccleſiæ dogmata , diverſa ſentire cuivis licet ; eam vero ſcribendi , diſputandive rationem tenere , quæ a Chriſtiana inſtitutione , morumque honeſtate aliena ſit , omnino non licet (a). *Sed ad Claſſicos redeamus . Si iſtorum fuerint diverſæ diſtractæque ſententiæ (ſunt vero ſæpiſſime) , communis tamen opinio , quæ ſimul nata ſit & pietatem fovere , & removere criminum pericula , magno a nobis in pretio haberi ſolet . Et ſane cui communis hominum in quavis arte peritorum ſenſus ſatis non fuerit , vix erit quod ſatis ſit . Quæ quidem non ita univerſim intelligi volumus , perinde ac ſi ex eorum etiam numero ſimus , qui Auctorum judicia* non ponderant , ſed numerant . *Neoterici cujuſdam viri imprimis docti juſta expoſtulatio hæc eſt . Verum nihil ad nos , qui in examinandis opinionum fundamentis præcipuam operam collocandam ducimus . Neque enim ignoramus locum habere ſæpiſſime ſententiam Innoc. III.* (b) *:* Pauciores numero ſunt conſilio ſaniores . *Nemo tamen hic ſperet , ut recoquamus inſulſam crambem de Probabili , & Probabiliori . Equidem probabilitatis cujuſque gradus revocare*

ad

[a] *V. Conſtit. Ben. XIV.* Sollicita. [b] 3. *de Poſtul. Prel.*

ad calculos is demum poterit, cui primum & ſumma Theologicarum rerum cognitio ſit, & ingenium acre, & lectio pene infinita Auctorum, illorum maxime, qui in argumento quovis pro dignitate verſati ſunt; cui deinde & Dialectices, & Metaphyſices ſtudium abunde ſuppetat, unde ſubtiliter, & acute de humana mente, ejuſdemque cogitationibus ratiocinari queat; cui denique explorata ſint officiorum omnium principia, cognitæque origines; cui Jus utrumque ita perſpectum, ut non ſola verba teneat, ſed ſenſum etiam, ac vim intelligat. Quotuſquiſque vero eſt, qui rem tantam præſtare poſſit? Præterquamquod tota controverſia de majori, ſive minori probabilitate illa eſt, quæ dum ab Auctoribus ſat multis non ea conſtituitur, qualis debuerat, mirum quantum implexa eadem, inconſtans, ſibique diſſimilis evaſerit. Verum hæc alterius ſunt & loci, & temporis. Nobis una probatur præſcripta a doctiſſimo Pontifice Benedicto XIV. Confeſſariis regula, quæ inſtar multarum eſt. En illam: Suis privatis opinionibus (*ii, qui de rebus controverſis reſponſa ferunt*) ne nimis adhæreant; ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum aucto-

ritate

ritate plane confirmatas intelligent (a). *Atque iſta de ſtudiorum noſtri ſive Cætus, ſive Conſeſſus, qualis a Theologiæ Moralis ſtudioſis haberi ſolet (ut rem teneas, de nomine ipſo haud valde laborandum eſt) ordine, ratione, ac methodo præfatos nos eſſe ſatis ſit.*

Sequitur, ut de tota harum Exercitationum diſpoſitione præmittantur nonnulla. Propoſita dominii indole, ſive natura, quodnam bonorum genus in noſtro ſive patrimonio, ſive peculio ſit, Theologi conquirunt. Deinde quanam ratione comparetur dominium, diſputant: in qua diſputatione præcipuum ſibi locum vindicant cum Uſucapio, tum vel maxime privatæ conventiones. Itaque noſtrarum Diſſertationum quadripartita diviſio hæc eſt. In prima dicetur de dominii natura, & de genere bonorum, quæ cadunt ſub dominium: in altera de Præſcriptione: tertia erit de Conventionibus ultro citroque obligantibus: Poſtrema demum de Conventionibus, quas gratuitas dicunt, maxime de Promiſſionibus. Porro in ſingulis Diſſertationibus poſt theoreticam principiorum tractationem fit univerſalis doctrinæ derivatio practica ad ſingularem aliquem caſum. Novi fuiſſe, nec dubito hodiedum fore nonnullos, qui ſingularium hujuſmodi conſecutionum ſupervacaneum la-

borem

[a] *In Encyclica ſuper Uſura.*

borem dicant ; quum ſatis fuerit, ut ipſi quidem exiſtimant, communem quamdam honeſtatis, & principiorum notionem habere, ad quam reſpiciens, & quam intuens quilibet poſſit nullo negotio ſingulares controverſias dirimere. Verum hi erunt fere, qui vel nondum animadverterint, quantum ab Auctoribus primi ſubſellii in his ſingularibus deductionibus inſudatum ſit, vel declinandi laboris honeſtam excuſationem quærunt. Nos contra putamus, principia Chriſtianæ Ethicæ perſpicienda illa quidem quam fieri poſſit diligentiſſime ; at niſi in derivandis doctrinæ formulis ad alium, atque alium eventum ſe diu multumque Theologus exerceat, non poſſe eum abſque ſua, & Pœnitentium pernicie de unoquoque Caſu practico, *ſic enim vocant, ſententiam dicere.*

Hactenus de tota diſſertationum œconomia. Qua in re tametſi noſtro potiſſimum commodo elaboratum ſit ; fruſtra enim doceri nos, ſiquid audiamus, præterfluat, *dixit graviſſime Quintilianus* (a) *: ſed quoniam eorum eſt, qui in hominum conſuetudine verſantur, ut privatim, & publice aliis prodeſſe velint ; viſum eſt fore non omnino inutile, ſi diſputationes hujuſmodi copioſiores, & ornatiores publici juris fiant. At enim ornari res ipſa vetat*

[a] *Lib.* 2. *c.* 2.

tat, contenta doceri. Profecto : ſed eſt modus in rebus. Nos de Petavii ſententia nec myrothecias omnes Rhetorum volumus, neque orationem putidam, atque agreſtem. Neque enim quia vituperanda eſt timida quorumdam in ſeligendis vocabulis diligentia, continuo fas erit hanc Scientiarum Reginam vili lacerna induere, ac fœdis ſordibus aſpergere : in qua parte a nonnullis plus nimio peccatum eſt. Reddere Scholæ voces cuique licet, quandoque opus fuerit ; ſæpe enim uno vocabulo conficies, quod ſi volueris pure, latineque dicere, longa tibi periphraſi non ſine Lectoris faſtidio utendum ſit : at recte præcipiunt, qui volunt, ne Theologus citra neceſſitatem id agat (a). *Idcirco temperatum, ac mediocre a nobis adhibitum eſt orationis genus, ut in argumento vulgato, & cuique obvio nova ſaltem diſſerendi ratio arridere poſſit. In facili quidem labor eſt, ſed labor tamen ; quo an id aſſequuti ſimus, ut & prodeſſe, & delectare poſſemus, alii viderint. Vale.*

NOI

[a] *V. Petav. Theol. dogm. & Canum de locis.*

NOI
RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Gio: Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato: *Principiorum Juſtitiæ, & Juris Exercitatio Theologica &c. MS.* non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e Buoni Coſtumi, concediamo Licenza a *Gianjacopo Miazzi* Stampatore di Rovigo, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 7. Febbraro 1777.

(Piero Barbarigo Riformator.

(Francesco Morosini 2.° Cav. Proc. Riform.

(Girolamo Grimani Riformator.

Davidde Marcheſini Segr.

Addì 11. Febbraro 1777.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo contro la Beſtemmia.

Gio: Pietro Dolfin Segr.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA.

De Natura, atque Indole Dominii.

§. 1. ANtequam de principiis juſtitiæ, & juris dicere incipiam, antevertenda eſt criminatio illa Juriſconſultorum quorumdam, qui noſtris exprobrare auſi ſunt, quod in materia juris plura definiant, eoſque ſimiliter peccare volunt, atque illi ſolent, qui in alienam meſſem falcem immittunt. Hoc convicio excitati Theologi adeo diligenter in tuenda communi cauſa verſati ſunt, ut qui doctiſſimos Viros Canum (*a*), Suarezium (*b*), Navarrum (*c*), Dominicum Sotum (*d*) adeat, inanem ac futilem totam iſtam criminationem facile intelligat. *Diſce quod doceas*, ait Hieronymus Nepotiano. Atqui de legum vinculo, de privatis conventionibus, de cenſuris, atque id genus aliis conſuluntur Theologi, Confeſſarii in primis, qui non aliter prudentem de hiſce rebus ſententiam ferent, quam ſi multa prius de legibus canonibuſque didicerint. Certe Navarrus perfectum Confeſſarium, & cui nihil admodum deſit, totam oportere ait ut calleat Theologiam de moribus, & Jus utrumque: multa etiam de Conſtitutionibus Synodalibus, & de Jure Municipali. Non ego quidem hæc omnia univerſim urgeo. Talem enim mihi videtur Navarrus Confeſſarium velle, qualem Oratorem deſcribit in Bruto Tullius. Equidem ut concurrant hæc omnia,

 opta-

(*a*) De locis 8. (*b*) In proœm. de leg. (*c*) De Pœnit. diſt. 1. (*d*) De Juſt. & Jur. in Præf.

optabile eſt; ſin minus, *eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra* (*a*). Quare illud contendo, ſi minus liceat Theologo, cui Pœnitentiæ adminiſtrandæ provincia demandata eſt, ſumma pertingere; hoc tamen eidem enitendum pro viribus, ut ad mediocria perveniat, cui in ſecundis, vel tertiis conſiſtere non modo honeſtum eſt, verum etiam neceſſarium. Atque hæc in anteceſſum præmiſiſſe ſatis ſit.

§. 2. Juvat ergo, quandoquidem omnis diſputatio de rerum dominio futura eſt, primum omnium definire, quid ſit dominium. Hoc ut præſtem, a dominatu, & dominatione diſtinguendum dominium puto; non ea quidem ratione, ut iſtud in bonam, illa in malam partem accipiantur; de qua diſtinctione viderit, qui eam tuetur, Sotus (*b*): ſed quia dominium latius patet. Nam ſervi, ædium, veſtis habere te dominium recte dixeris; horum omnium habere te dominatum non dixeris. Eſt igitur dominium *facultas legitima diſponendi omnino de aliquo maxime in proprium commodum, niſi lege prohibeatur*. Quæ definitio ut intelligi poſſit, res tota a principiis Juſtitiæ, & Juris repetenda eſt. Et primum quidem eſt *facultas*, ſive *poteſtas legitima:* nullum enim dominium eſt, quod jure quodam introductum non fuerit. Juris autem, quod hic pro lege ſumitur, tripartita diviſio eſt, atque eadem notiſſima in *Naturale*, *Gentium*, & *Civile*. Naturale autem non illud eſt, quod natura docuit omnia animantia, in quo Ulpianus merito a pleriſque reprehendi meruit. Quod ſi in brutis animantibus legem dumtaxat metaphorica ſignificatione acceptam inveniri voluit, id ultro dabi-

(*a*) Horat. Ep. 1. lib. 1. (*b*) 4. de Juſt. & Jur.

dabimus cum D. Thoma (*a*). Sed nos veri juris notionem quærimus, non metaphorici. Ad veritatem propior accedit Tullius (*b*), qui docet naturæ legem eſſe id, quod non opinio aliqua, ſed vis quædam innata nobis inſeruit. Veriſſime dicuntur iſta: at nondum ſatis apparet, quidnam ſit lex naturæ. Hanc innato rationis lumine cognitam nobis ac perſpectam fieri nemo unus negaverit: eſt enim ratio legis naturæ promulgatio quædam. Verum hoc amplius quæritur, quidnam illud ſit, quod nobis promulgat ratio. Sane non aliud, quam voluntas Superioris cujuſdam, cui in nos noſtraque ſummum imperium ſit, ſive jubentis, ſive vetantis. Omnium autem Superior Deus eſt, qui quæ ipſemet condidit, eadem ad præſcriptos cuique fines juxta ſuam uniuſcujuſque indolem regit ac moderatur, Hinc quæ rationis expertia ſunt, diriguntur legibus dumtaxat phyſicis, cujuſmodi illa: *& legem ponebat aquis* (*c*). Quæ vero ratione conſtant, reguntur legibus moralibus. Inter utraſque illud intereſt, quod priores illæ notæ ſint nobis, an ignotæ, perinde eſt; poſteriores autem ſi ignoratæ fuerint, inutiles fiant. Ecquis enim erit, qui ad regulæ cujuſdam normam dirigere queat mores ſuos, ſi rationem lateat ipſa illa regula? Itaque ratio voluntatis divinæ denunciatio quædam eſt. Divina vero voluntas & jubet ea, quæ ad finem aſſequendum neceſſaria ſibi propoſuit ſumma illa mens, & ea prohibet, quæ nos avocant a conſtituto fine. Quapropter Dei voluntas ea ratione a D. Aug. (*d*) expoſita lex naturæ eſt.

§. 3. Et hic quidem facere non poſſum, quin

(*a*) 1. 2. q. 91. (*b*) Lib. de leg. (*c*) Proverb. 8. (*d*) Contr. Fauſtum lib. 22. cap. 27.

eos vituperem, qui ab ipſa natura nos obligari dicunt. Quid enim ſibi iſti volunt? Primum eos loqui de natura ratione prædita, niſi inepti eſſe velint, extra dubium eſt. Erit ergo quæ nos obligat natura *rationalis*, ſive *naturalis* ratio. Jam illud urgeo: Naturalis hæc ratio denunciatne Superioris cujuſdam voluntatem, an ſecus? Si primum dixeris; non ergo eſt, quæ nos obligat ſola natura, quæ ut fundamentum ſit, regula, ac menſura *objectiva* honeſti; at ipſa *formalis* regula (*a*) ipſa lex naturalis eſſe non poteſt. Sin alterum; vide, ne a ſemetipſa naturam obligari dicas; quod perridiculum eſt, neque intelligi poteſt. Quare in hac parte Suarezius (*b*) jure merito diſſentit a Vaſquezio (*c*), quem acriter refellit. Hæc ſibi dicta habeat Wolaſthonus, qui in Opere illo, quod in Atheos, atque Deiſtas ſcripſit, chorda oberrat eadem, putans naturæ legem in illo contineri Philoſophorum decreto: *Oportet naturam ſequi*. Quanto rectius illi, qui conſtituto in beatitudine Deique gloria bonorum fine, ad hunc obtinendum media neceſſaria dicunt, uti revera ſunt, amorem Dei, noſtri, aliorumque. Quum autem ejuſdem ſit media præſcribere ad beatitudinem, qui hominem ad eam condidit, ſcilicet Dei; hinc fieri non potuit, quin triplex ille amor a conditore Deo homini præciperetur, quæ vero cum eodem pugnarent, omnino prohiberentur. En tibi naturæ legem (*d*).

§. 4. Putarunt Juriſperiti nonnulli, prima dumtaxat morum principia lege naturæ comprehenſa eſſe. Sed quam id falſo dicerent, vel inde conſtat, quod veritas concluſionum eſt ipſa veritas prin-

(*a*) V. Giballin. ſcient. Can. lib. 3. (*b*) Lib. 2. cap. 5. (*c*) In 1. 2. diſp. 150. (*d*) V. Suar. cap. 6.

principiorum; ut proinde qui juxta primum honeſtatis principium vetat univerſim injuriam fieri, homicidium etiam prohibeat neceſſe ſit. Hæc enim (uti ajunt) *ſpecies* injuriæ univerſim prohibitæ ſubjecta eſt (*a*). Porro ex hac legis naturæ deſcriptione fluit quodammodo ejuſdem immutabilitas. Poteſt enim perfici naturæ lex, uti auctor eſt D. Thomas (*b*), ideſt illuſtrari, in altiorem finem dirigi; ſed mutari eadem nequaquam poteſt. At enim eveniunt ſæpe tempora, ut quod honeſtum erat, & conſentaneum naturæ legi, fiat inhoneſtum, uti reddere furioſo depoſitum; quo etiam utitur exemplo Tullius (*c*). Verum iſta rerum, non legis mutatio eſt (*d*). Ex quibus efficitur, ut tota illa controverſia de diſpenſatione in naturæ lege ſupervacanea ſit. Illud etiam conſequitur, ut tametſi prima principia in nullo omnino rerum eventu mutari queant, concluſiones tamen ſingulares inde deductæ non ſemper eædem ſint. Hinc plena negotii res eſt, communem principiorum doctrinam in ſingulares eventus juſta ratiocinatione deducere; ut propterea aberrent plurimum, qui una principiorum notitia ſatis ſe paratos atque inſtructos exiſtimant, ut de alio atque alio ſingulari eventu e veſtigio ſententiam dicant. Sed a diverticulo in viam.

§. 5. Sequitur genus alterum, ſcilicet Jus Gentium. Omnino quibus de cauſis impelluntur homines ad fovendam inter ſe benevolentiam & conjunctionem, ob eaſdem populi cum populis aliis concordes animos curare debent. Sunt enim di-

(*a*) V. D. Thom. q. 91. a. 1. Aug. lib. 1. de lib. arbitr.
(*b*) Q. 94. (*c*) V. De Off. §. 10. (*d*) V. Philoſ. 5. Ethic. Suar. cap. 15.

verſa imperia quædam quaſi Univerſi membra, ut præclare a Suarezio (*a*) dictum eſt. Quædam igitur inter populos lex intercedit, qua mutua ipſorum concordia ſanciatur. Hæc autem non alia videtur eſſe, quam ipſa naturæ lex, quæ gentibus accomodata jus naturale gentium merito diceretur. Neque enim univerſim jus gentium dixerim, quale definit Puffendorfius (*b*), *ipſum jus naturale integrarum gentium negotiis, & cauſis applicatum*. Nam ſi quæ fuerint inter gentes liberæ conventiones (ſunt autem nonnullæ) quibus vim obligandi tacito quodam conſenſu ineſſe velint, has ego, modo non repugnent juri naturæ, non *jus naturale gentium*, ſed *jus gentium poſitivum* dico, quale explicavit Juſtinianus (*c*).

§. 6. Miratus ſæpe fui, Juriſconſultos veteres non ſatis ſibi conſtare, dum jus gentium enucleare volunt; quum iſtud pertinere ad jus poſitivum docuerit jam olim Tullius (*d*), qui in ea ſententia eſt, ut putet diviſionem dominiorum & rerum juri poſitivo adſcribendam eſſe. Rerum autem diviſio juris gentium eſt ex doctrina D. Thomæ (*e*). Non negaverim jus gentium eſſe juri naturæ proximum, & prope ab eodem fluere. Sed illud intereſt, quod ea, quæ ſunt juris naturæ, vel ſunt prima principia, vel ex eiſdem ſemper neceſſaria quadam conſecutione fluunt; ea vero, quæ ſunt juris gentium, non oriuntur neceſſario a primis principiis, niſi interdum, & quidem ex hypotheſi (*f*). Ponamus aliquid exempli cauſa. Hominem ad communem vitæ ſocietatem naſci cum prima illa imbecillitas,

(*a*) Cap. 20. (*b*) De jur. nat. & gent. lib. 2. (*c*) §. *jus autem* Inſtit. de jur. gent. (*d*) 2. de Invent. (*e*) Loc. cit. (*f*) V. Cujacium lib. 1.

litas, cui aliena cura & diligentia multum temporis ſubveniendum eſt, tum ſermocinatio, cujus extra humanam ſocietatem nulla utilitas foret, poſtremo etiam ingenita indoles ad imitandum alios, ut cætera omittam, clare aperteque demonſtrant. At hæc ſocietas felices exitus habere nequit, niſi homines ſe ſe invicem mutua charitate devinciant, concordes agant, & beneficiis dandis accipiendiſque, & in bonorum uſura, ut ſcilicet tantum quiſque accipiat, quantum ſibi opus fuerit, concordiam foveant. Eſt igitur naturalis homini ſtatus pacis, non belli, contra atque inſane tradidit Hobbeſius, cui quum jus & potentia idem ſint, eo dementiæ veniendum fuit, ut quidquid viribus poſſis, jus illud velit. Sed belluarum, non hominum jus iſtud eſt, ut viribus & robore omnia dimetiantur. Porro quum homines ſi ſibi permittantur, & *vaga proſiliat frænis natura ſolutis*, pejus fiant omnium animantium, id quod graviter a Philoſopho dictum eſt (*a*), ac propterea ad inferendas injurias propenſiores ſint; opus erat ſæpiſſime, ut medio bello injuriæ propulſarentur. Bellum autem ipſum cum minori, quoad ejus fieri poteſt, detrimento gerendum eſſe perſuadebat ratio. Mittantur ergo legati, ſed qui ab omni injuria immunes ſint. En ut legatorum immunitas ita juris gentium facta eſt, ut, poſita belli neceſſitate, fiat etiam de jure naturæ. Plerumque tamen jus gentium poſitivo ſimilius eſt; ſiquidem abrogari poteſt. Exemplo ſit ſervitus eorum, qui capti fuerant in bello juſto; quæ quum olim fuiſſet juris gentium (*b*), hodie tamen inter Chriſtianos omnino abrogata eſt (*c*).

(*a*) 1. Polit. (*b*) Inſtit. de Jur. Perſon. §. *Servi*.
(*c*) Barthol. L. *Hoſtis* D. *de Captivis*.

In illo autem differt a poſitivo, quod iſtud ſit proprium certæ alicujus gentis, illud vero omnium gentium ſit.

§. 7. Tertium igitur genus eſt jus poſitivum, quod circa ea verſatur, quæ a principio quidem, ut ait Philoſophus (*a*), & probat D. Thomas (*b*), ſerventur, an ſecus, nihil refert; poſtquam autem conſtituta ſunt, refert. Etenim quum principio rerum in ſolas familias homines diſtinguerentur, quas regebat Avus, aut Pater; eſt enim maritus *caput communi lege naturæ*, uti ſcribit D. Hieronymus (*c*): aucto deinceps familiarum numero, quo melius ſibi eſſet, vires in commune cogere, & coaleſcere in populum cæpere, quem ille, ſive illi arbitratu ſuo moderabantur, quibus demandatum erat ſummum Imperium (*d*). En tibi expreſſam imaginem Reipublicæ, ſive civilis ſtatus, qui a naturali in eo differt, quod homines quum antea pares eſſent, & neuter alteri obnoxius, alieno imperio deinde majoris boni cauſa ſubjecti ſunt. Poſtquam vero homines ea mente & cogi in cætum quemdam, atque alieno imperio ſubmitti voluere, conſequens fuit, ut penes Magiſtratum eſſet poteſtas ferendarum legum: id quod a Philoſopho (*e*), Platone (*f*), Tullio (*g*) confirmatum eſt (*h*). Etenim Reſpublica corporis inſtar cujuſdam eſt, cujus ſingula membra peculiaribus ſolum muneribus intenta ſunt; ut proinde neceſſe ſit adeſſe quemdam, qui ordinem curet, totius corporis incolumitati ſtudeat, & communibus omnium commodis invigilet. Itaque

(*a*) 5. Ethic. (*b*) 2. 2. q. 57. a. 2. (*c*) In Ep. ad Titum. (*d*) V. Suarez lib. 3. (*e*) Loc. citat. (*f*) De Republ. (*g*) 1. de Invent. (*h*) Quare iſta nos a Philoſophis Ethnicis, dabit Clem. lib. 1. Stromat.

que civilis diſciplina excogitata eſt, qua homines facilius in officio continerentur, ſibique deſtinatum finem certius aſſequi poſſent (*a*).

§. 8. Quod ſi civilis ſtatus ab eo ſejunctus non ſit divini cultus, in quo homines corporis inſtar myſtici Deo auctore conſtituti ſunt; alia conſequitur ſublimior diſciplina eidem ſtatui accomodata, quæ lex divina poſitiva audire ſolet. Sed alia in veteri Teſtamento, alia in novo & æterno. Illa a Deo (*b*) per Angelos in manu mediatoris Moyſis uni Hebræorum genti data eſt: at quum eſſet pædagogus noſter in Chriſto, & umbram futurorum contineret, poſt Chriſti mortem eidem ſucceſſit lex gratiæ, quæ omnibus omnino gentibus prædicanda erat. Hac autem & præcepta naturæ confirmata, & nova quædam denunciata ſunt, quæ fidem maxime, & Sacramenta ſpectant (*c*). Quin & illud conſtitutum eſt, ut qui huic ſtatui, quæ Eccleſia dicitur, regendo præficerentur, facultate pollerent legum ferendarum, quas Eccleſiæ regimini vel neceſſarias, vel utiles exiſtimarent (*d*). Sane Apoſtoli jam inde a principio præcepta dedere, quæ ſervari jubebat D. Paulus (*e*). Quas vero leges poteſtas Eccleſiæ ſanxit, Jus Canonicum dicitur, inter quod, & Civile hoc maxime intereſt, quod iſtud ſolam ſpectet præſentis vitæ felicitatem, illud vero etiam æternam (*ſ*). Quibus conſtitutis facul-

(*a*) V. D. Th. q. 90. & De Caſtro lib. 6. Hæreſi 9.
(*b*) Velint, nolint Marcion, Valentinus, & Manichæi. V. Concil. Toletan. I. in confeſs. fidei, & Salmeron diſp. 28. in Ep. ad Galat. (*c*) V. Trident. ſeſs. 6. can. 19.
(*d*) Quidquid reclament Eccleſiæ deturpatores, atque everſores Vvicleffus, Lutherus, Calvinus, Melancthon, Vveſtphalus. (*e*) Act. 15. V. Bellarm. de Summo Pontif.
(*ſ*) V. Suar. loc. cit.

facultas legitima non alia dicenda eſt, quam quæ lege aliqua ſive naturæ, ſive divina, ſive gentium, ſive civili, ſive canonica fulciatur. Eamdem Auctores frequentiſſimi dixere *Jus activum*.

§. 9. Sed juris univerſim multiplex ſignificatio eſt. Etenim & ars, qua cognoſcitur juſtum, ab Ulpiano dicta *ars æqui, & boni*, & lex quæ juris dicundi regula fuerit, & facultas legitima diſponendi de aliquo, jus dici ſolent. Juris vero ita accepti ut ſit facultas legitima, duplex diviſio eſt. Namque aliud eſt proprietatis, aliud juriſdictionis. Poſterius reſpicit ſubditorum bonum tuendo, moderando, puniendo; prius illud utilitatem ejus propriam, qui facultate diſponendi inſtructus eſt, ſive id faciat utendo, ſive fruendo, ſive alienando. Verum de poteſtate juriſdictionis non eſt cur pluribus dicam. In una nobis ſiſtendum eſt facultate proprietatis, qua efficitur, ut res fiat uniuſcujuſque propria, & dici poſſit mea, tua. Quare hujuſmodi facultas involvit ex doctrina Lugonis prælationem quamdam, ut nihil ſit aliud rem meam facere, quam habere mihi faventem legem, ut in libera hujus rei diſpoſitione cæteris omnibus præferendus ſim. Omnino autem legis ita mihi faventis duplex vis eſt. Primum libertatem meam fovet, & tuetur, ut quum de re diſpoſuero, non inhoneſte agam; ſiquidem non uſurpata facultas, ſed legitima eſt: deinde alienam conſtringit obligatque, ne quis me in legitima rei diſpoſitione impedire poſſit. Quibus conſequens eſt, ut res mihi adjudicata, atque obligata maneat, quam poſſim repetere, ubicumque fuerit, atque actione agere, quæ dicitur *vindicatio*. Atque hæc facultas di-

citur

citur *jus in re* (*a*). Eſt enim in re jam devincta obligataque. Altera vero, qua perſonam conveniri poſſum, ut mihi rem tradat, atque actione agere, quæ dicitur *condictio*, ut affinis eadem ſit juri proprietatis, imperfecta tamen facultas eſt, ut propterea non *jus reale* dicatur, ſed *perſonale*. Eſt enim facultas ad rem mihi adjudicandam, quæ nondum devincta eſt. Fac a Sempronio equum tibi venditum fuiſſe, ſed nondum traditum, quem idem poſtea Titio & vendiderit, & tradiderit. Equus non tuus, ſed Titii eſt. Nullum ergo iſthic jus proprietatis, quum nondum rem tuam feceris: Sempronius autem conveniri poteſt actione *quanti intereſt*.

§. 10. Nihilominus legitimæ facultati cum perfectæ, tum imperfectæ reſpondeat ex adverſo debitum aliquod neceſſe eſt. Nam ſi fuerit jus reale, debent alii uſum rei non impedire, rem ipſam tibi non auferre, ablatam reſtituere, damna compenſare: ſin autem perſonale fuerit, debet alius rem tradere, quæ tua fiat. Et hæ quidem ſive actiones, ſive omiſſiones, quia commenſurantur juri activo alterius, dicuntur *jus*, ſive *juſtum*; & qui illas præſtat, dicitur *jus reddere*, uti recte exponit Richard. (*b*). Sed diſtinguere oportet debiti multiplex genus. Quum enim Juſtitia ex Ulpianæa definitione ſit *conſtans, ac perpetua voluntas tribuendi unicuique jus ſuum*, ideſt id ad quod jus habet, id quod cuique debetur; niſi debiti rationem, quæ multiplex eſt, rite diſtinxeris, virtutes fere omnes confundas neceſſe eſt. Deo debetur cultus, parentibus reverentia, magiſtratibus ſubmiſſio, alia aliis.

Atqui

(*a*) Cap. ult. de Conceſs. Præb. in 6. Inſtit. de act. §. *omnium*. (*b*) In 3. diſt. 33. V. Theoph. Raynaud. de Virtut.

Atqui hæc omnia aliam alia virtutem ſpectant, ut qui magiſtratibus ſubjectus ſit, obediens, qui parentes honorat, pius, qui cultum Deo exhibet, religioſus dicatur. Sed debiti in ſumma capita duplex diviſio eſſe poteſt. Nam quod dicitur *morale*, ita nos obligat atque conſtringit, ut niſi perſolvatur, morum honeſtas ſervari nequeat. Hujuſmodi eſt debitum & gratitudinis, & pietatis, & fidei, uno verbo debitum cæterarum virtutum, quæ a Juſtitia diſcretæ diſtinctæque ſunt. Alterum vero debiti genus, quod *legale* dicitur, eſt proprium ſolius juſtitiæ, & reſpicit *jus activum in altero* (*a*). Quod quidem debitum qui non perſolvit, non modo inhoneſtus eſt, ſed etiam injuſtus. Sed oportet, ut in jure, quod objectum Juſtitiæ eſt, tria conſideremus: quandoquidem præter rationem debiti requiritur etiam ordo ad alterum, & ratio æqualitatis.

§. 11. Ac primum quidem Juſtitia, altera e virtutibus Cardinalibus, id ſibi proprium vindicat, ut ſit ad alterum (*b*), atque in hoc maxime differt a Fortitudine, Prudentia, & Temperantia, quibus ex præſcripto rationis proprias vel actiones dirigimus, vel affectiones cohibemus. Sed quum omnis Juſtitia cum ea, quam peculiarem virtutem dicimus, tum generalis altera, quæ virtutibus omnibus permixta atque implicata eſt, reſpiciat æqualitatem quamdam, ſive iſta conformitate, ſive convenientia, ſive proportione quadam definiatur: attamen Juſtitia Cardinalis virtus eam reſpicit æqualitatem, quæ ſita ſit *in medio rei*, ideſt medio, quod menſuratur ipſa rei natura; cæteræ vero virtutes reſpiciant *medium rationis*, ſive medium, quod a ratione definiendum eſt. Diſcriminis ratio peti-

(*a*) D. Thom. q. 80. a. 1. (*b*) V. D. Th. loc. cit. a. 2.

petitur a D. Thoma (*a*) ex eo quod *rectum in operibus aliarum virtutum ..... non accipitur niſi per comparationem ad agentem; rectum vero quod eſt in opere juſtitiæ ..... etiam per comparationem ad alterum*. Auream enim mediocritatem, quæ eſt inter exceſſum & defectum, ex diſpoſitione adjunctiſque operantis in aliis virtutibus metiri debemus. Liquet in Temperantia. Quod enim cibi potuſve imbecilliori ſufficit, validiori vix ſatis erit. At in conſtituendo medio rei nulla prorſus perſonæ ratio habenda eſt. Porro dupliciter res ipſa æqualis haberi poteſt. Alia eſt enim æqualitas numerorum, ſive arithmetica, alia æqualitas quantitatum, ſive geometrica. Jam ergo Juſtitia particularis alterutram ſpectet neceſſe eſt. Sed quæ reſpicit æqualitatem arithmeticam, dicitur *commutativa;* quæ vero æqualitatem geometricam, *diſtributiva*. Diviſionem iſtam analogam putat Suarez, nec diſſentit Lugo. Atque hanc vim habere videntur D. Thomæ illa: *Quum ex bonis communibus aliquid in ſingulos diſtribuitur, quilibet aliquo modo recipit quod ſuum eſt* (*b*).

§. 12. Hanc tamen æqualitatem quia non attingit Juſtitia illa, quæ invigilat bono communi, propterea completam perfectamque Juſtitiæ indolem ſortiri nequit. Nihilominus dicitur *Juſtitia*, & quidem *generalis* (*c*), propterea quod cæteris virtutibus præſcribit normam agendique rationem, ut de Ambroſii ſententia, *ubi Juſtitia, ibi concordia aliarum virtutum* futura ſit (*d*). Eadem a Philoſopho dicitur *legalis* (*e*), quia reſidet primum in Legumlatoribus, qui civium ſibi ſubditorum actiones diri-

gunt

(*a*) Ibid. (*b*) V. Layman lib. 3. (*c*) V. D. Thom. a. 5. loc. cit. [*d*] In Hexam. [*e*] 5. Ethic.

gunt mediis legibus ad commune bonum; deinde eſt in ſubditis, qui boni communis amore ducti legibus ſe ſubjiciunt, eaſque obſervant. Sed hanc ſubditorum raram eſſe conqueritur Ludovicus Habert (*a*).

§. 13. Ac de facultate quidem legitima diſponendi de re in proprium commodum, ideſt de jure activo univerſim diximus. Sequitur ut ſeparatim agamus. Nam de rebus, in quibus jus activum eſt, interdum quidvis facere poſſumus pro arbitrio, interdum minime. Eſt ergo facultas diſponendi multiplex, ſive multiplex jus in re. Itaque primum jus reale habetur ſervitus, ſive illa urbana ſit, ſive ruſtica, cujus illa deſcriptio eſt, ut ſit jus faciendi quidquam in re alterius, aut impediendi, ne alter faciat quidquam in propria. Prioris exemplum eſt, ſi alterum legitime poſſim cogere, ne impediat plauſtrum a me agi per ſuum fundum; poſterioris, ſi impedire legitime poſſim alterum, ne ita ædificet, ut meis luminibus officiat. Deinde jus reale eſt Feudum, jus nimirum utendi fruendique re aliena ſub onere præſtandi fidem atque obſequium. Huic affinis eſt Emphytheuſis, quæ dicitur jus utendi, fruendi aliena re, ſalva ejuſdem ſubſtantia, cum onere perſolvendi annui canonis, ſive penſionis. Sequuntur tertio Habitatio, & Poſſeſſio; & illa quidem eſt jus alienas ædes ad vitæ tempus colendi, locandique aliis; iſta jus inſiſtendi rei, tanquam ſuæ, ideſt, uti exponit Leſſius (*b*), eam pacifice tenere, & poſſe juris remediis contra perturbatores tueri. Tenere autem oportet tanquam ſuam. Nam ſiquis rei inſiſtat nomine alieno, uti tutor pupilli nomine, is minime

rei

[*a*] Part. 1. [*b*] Lib. 2. de juſt.

rei poſſeſſor dicendus eſt. Denique jus reale omnium infimum habetur Uſus, ſive jus utendi dumtaxat re aliena, ſalva ejuſdem ſubſtantia. Siquidem *frui* quidquam amplius eſt, quam *uti*. Equidem *& fructibus utimur*, *& uſibus fruimur*, ait Aug. (*a*): ſed placuit Juriſperitis diſcrimen, ut aliud dicerent *frui*, aliud *uti*, quo melius uſusfructus diſtingueretur a ſolo uſu. At quemadmodum poſtremum iſtud anguſtis limitibus circumſcriptum eſt, ita e converſo nullum genus juris in re latius patet, quam dominium. Eſt enim jus diſponendi omnino, ſive in omnem uſum. Equidem in aliis juribus vel habetur proprietas ſine emolumentis, uti accidit domino directo in re Feudali, ſive Emphytheutica; vel emolumenta ſine re, quæ ſarta tecta ſervanda eſt, uti evenit in Habitatione, Feudo, Uſufructu. Verum re uti fruique, eamque pro arbitrio diſtrahere, & alienare is ſolum poteſt, qui habet dominium rei, dominium, inquam, perfectum abſolutumque, in quo & dominium directum, ut ajunt, & dominium utile colligata & conſolidata ſunt. Nuſquam hæc ab Imperatoribus, nuſquam a Juriſconſultis nominari ait Cl. Muretus (*b*). Ignorat quidem jus hæc vocabula. At res ipſa abſurda non eſt, uti fatetur Heineccius (*c*). Quare Muretus, id quod minime vellem, ultra legem tendit, qui rem iſtam vocat commenta, & ſomnia. Quid enim, rogo, vitii eſſet, ſi aliud diceretur dominium plenum, aliud non plenum, aliud perfectum, aliud imperfectum? Atqui iſtud prope pro eo eſt, ac ſi dicas directum, ac utile. Sed ad inſtituta pergamus. Itaque perfectus, & abſolutus

[*a*] 11. de Civ. cap. 25. [*b*] Ep. ad Gidetum, mihi 51.
[*c*] Elem. Jur. lib. 2. §. 337.

lutus rei dominus poteſt de re ipſa conſtituere in omnes uſus pro arbitratu ſuo. Ex quibus illud intelligitur, etſi omne dominium ſit jus, non tamen e contrario quodlibet juris genus eſſe dominium.

§. 14. Sed in dominii definitione diligenter obſervanda eſt particula illa, *niſi lege prohibeatur*. Eſt enim ſæpiſſime dominium perfectum quidem atque abſolutum, ſed ex parte ſuſpenſum impeditumque. Quandoquidem & cavendum erat imbecilliorum infirmitati, pupillorum in primis, & conſulendum poſterorum indigentiæ. Verum de his poſtea: modo de multiplici bonorum genere, quæ cadere poſſunt ſub dominium, dicendum eſt.

§. 15. Juſtinianus ita jus diſtinxit, ut aliud ſit ad perſonas, aliud ad res, ad actiones aliud (*a*). Res autem ea diſtinctione dividit, ut aliæ ſint corporales, aliæ incorporales. Et corporales quidem eas intelligit, quæ tangi poſſunt, ſive immobiles illæ ſint, ſive ſe moventes; incorporales autem quæ in jure conſiſtunt, uti hæreditas, actiones, ſervitus, & his ſimilia. Et hæc quidem Juſtinianæa diviſio in ſumma capita. Sequitur rerum diviſio altera, ut vel ſint communitatis, quæ ſcilicet uſum ſui naturalem cuique exhibent, uti mare, littora; vel publicæ, quæ uſum ſui induſtrialem præbent, uti portus; vel univerſitatis, quarum dominium ad communitatem ſpectat, uſus ad ſingulos, uti nemora; vel ſingulorum, ideſt quæ ſub privato cujuſdam dominio ſunt. Hæc autem quia ipſorum dominium adquiri poteſt, in patrimonio noſtro dicuntur eſſe (*b*). Sunt enim alia extra patrimonium noſtrum, quæ nullius dicuntur, nimirum res ſacræ, religioſæ, & ſanctæ. Sacras vocat

[*a*] Inſtit. lib. 1. [*b*] Inſtit. §. Finali de Jure Nat.

vocat Doujat (*a*) res Deo dicatas & conſecratas; ſanctas quæ ſanctione aliqua munitæ ſunt, pœna in violatores conſtituta (*b*): quæ duo, inquit, quum in Eccleſiis concurrant; idcirco Eccleſiæ jure merito *Sacroſanctæ* appellantur. Demum religioſa loca ea dici exiſtimat, quæ ad aliquod Chriſtianæ charitatis officium deſtinata ſunt, puta Noſocomia, Xenodochia, & alia id genus. Tripartita hæc diviſio, quæ e medio Jure Civili eſt (*c*), in univerſo Jure Canonico regnat. Heineccius (*d*) tamen neſcio quid paganæ ſuperſtitionis ſubodoratus eſt. Quare ipſi nullæ res ſacræ, niſi verbum, & Sacramenta, *dum ea diſpenſantur*. Itane vero? Atqui Euchariſtia etiam dum non diſpenſatur, ſacra, imo Sacramentum eſt (*e*). Hunc ergo Calvinianum errorem propinet ſuis; eumdem noſtros homines doceri in libro apud Catholicos pervulgato certe non patiar. Sed unde digreſſi ſumus, revertamur.

§. 16. At mihi quidem ea bonorum diviſio arridet maxime, ut aliud genus dicatur eorum; quæ ſunt in nobis, aliud eorum, quæ extra nos. Rurſus ea quæ ſunt in nobis, vel animum ſpectant, uti ingenium; virtutes, gratia, vel corpus, qualis vita, ſalus, membrorum uſus. Omnino autem quæ ſunt extra nos, fama, honore, divitiis, ſive, ut ajunt, fortunæ bonis definita ſunt. Jam illud conſtituendum eſt, quodnam ſcilicet ex triplici propoſito bonorum genere cadat ſub dominium. Univerſim dominio obnoxia ſunt, quæcumque pro-

B pria

[*a*] Ad Lancellotum lib. 2. tit. 18. [*b*] Ita exponit Martianus in l. 8. D. de rer. diviſ. [*c*] Cod. de Sacroſanct. Eccl. D. h. tit. Nov. 120. [*d*] Lib. 2. tit. 1. [*e*] Trident. ſeſs. 13. can. 4.

pria uniuſcujuſque induſtria comparari poſſunt. Hinc virtutum adquiſitarum, vitæque ſpiritualis dominium penes hominem eſt. Nam ſi volentem ſe ſpiritualiter occidere per peccatum, puta ebrietatem, alius cui nulla auctoritas ſit, invitum cogeret, & compedibus ſtrictum teneret, ne ſe inebriet, injuriam ipſi faceret (*a*). Verum idipſum de corporis vita dici non poteſt. Siquis enim volentem ſe gladio transfodere, invitum prohiberet, & a ſuicidio revocaret, recte ac præclare ageret. Cur ita? quia corporalis vitæ dominium penes hominem non eſt. *Vita hominis ſuper terram* dicitur *militia* quædam: ab ſtatione vero diſcedere injuſſu ſummi Imperatoris Dei nefas eſt; id quod jam olim Tullius animadvertit (*b*). Itaque ſuicidium vetitum a Deo eſt, id exigente recto naturæ ordine (*c*). Quoties enim vel paſſione actus, vel anguſtiis preſſus in ſui occiſione funeſtum homo ſolatium quæreret non ſine maximo Reipublicæ detrimento? Satis ergo homini fuerit multiplicem e vita uſuram capere, ſalva ipſius ſubſtantia, quam adminiſtrans ad Dei gloriam, uberrimum vitæ uſumfructum habeat (*d*). Huic vero tuendæ conſervandæque ita incumbere debet, ut poſſit etiam membrum abſcindere, ſi quando ad totius corporis incolumitatem ſervandam neceſſe ſit. Et hæc quidem de bonis, quæ in nobis ſunt.

§. 17. Alterius vero generis, eorum ſcilicet, quæ extra hominem ſunt, latiſſime patent *fortunæ bona*,

[*a*] V. Canum Relect. de Pœnit. Aragonium in 2. 2. q. 62. [*b*] De Senectut. ex Pythag. [*c*] Erravit Plato, qui licitum interdum dixit 9. de leg. [*d*] Illud quam male factum a Puffendorf., quod pluris, ac debuit, Veterum exempla æſtimans, quæſtionem in medio reliquit! lib. 2. cap. 4.

bona, de quibus modo dicetur: nam de ſama, & honore inferius diſputandum eſt. Sed exteriorum bonorum, quæ ad vitam hominum tuendam pertinent, ea in primis ratio eſt, ut ſint privata nulla natura; ſiquidem naturali jure non iſta privatorum ſunt, ſed communitatis. Nihil enim *meum*, *tuum*, niſi poſt bonorum diviſionem. *Tolle jura Imperatoris*, inquit Auguſt. (*a*), *& quis audet dicere: hæc villa eſt mea*. Quare rerum communitas juris naturæ eſt, uti docet Iſidorus (*b*). Sane bonorum diviſionem eſſe juris gentium, ex D. Thomæ doctrina ſuperius adnotatum eſt. Et hæc quidem hominum conſenſio, ut quod quiſque caperet, hoc ſuum fieret, non utiliſſima modo fuit, ſed inſpectis hominum cupiditatibus fere etiam neceſſaria. Id quod non ſatis animadvertit Plato, qui in ſua Republica quaſi rem utiliſſimam ponit bonorum communionem. Verum de Platonis opinione conſulatur Philoſophus (*c*), qui eam & impugnat, & expugnat. Porro bonorum diviſionem dominiorum diſtinctio conſecuta eſt. Hanc autem licitam eſſe definivit Synodus Conſtantienſis contra Huſſitarum hæreſim.

§. 18. Attamen ita dominia diſtincta fuere, ut vi humanarum legum eſſet in quibuſdam diſponendi facultas ſuſpenſa atque impedita. Hinc illa *vis & poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſuam ſe ſponte defendere nequit, jure civili data & permiſſa* (*d*): quæ tutela pupillaris dicitur, ſive illa teſtamentaria ſit, ſive dativa. Ætas vero pupillaris pubertatem non ſuperat; pubertas autem 14. in maſculis, 12. in fœminis poſt

B 2 diſcre-

(*a*) Relat. diſt. 8. cap. *quo jure*. (*b*) Lib. 5. Ethymol. 4. (*c*) 5. Polit. (*d*) Inſtit. de Tutel.

diſcrepantes Proculajanor. & Caſſianor. ſententias æſtimata eſt. Jam ergo pupillus circa bonorum diſpoſitionem ea conditione tenetur, ut tametſi ſit dominus omnium, at non interpoſita auctoritate tutoris paciſcens, ſive contrahens agat invalide, ſaltem jure civili, niſi ex titulo aliquo lucrativo conditionem ſuam meliorem faceret. Cæterum an conventiones illæ jure civili invalidæ vim ſuam habere cenſendæ ſint jure naturæ, acris diſceptatio eſt. Mihi aqua hæret. Ajentium partes ut probabiliores amplexus eſt nuperus ſcriptor Cuniliati (*a*). Sed quum ex varia legum interpretatione illud conſequatur, ut dubium ſit, an prior naturalis obligatio per leges humanas ſublata fuerit, hæc certe vi ſua non deſtituitur, donec clare evincatur ſublatam eſſe. Novi quid reponat Pichler (*b*): an ſatis ſolide, alii viderint. Interpoſita vero Tutorum auctoritas ut ſemper pupillis neceſſaria ſit, at non ſatis illa eſt in conventione qualibet. Etenim bona immobilia, & mobilia quæ ſervari poſſunt ultra triennium, diſtrahi nequeunt ſine judicis decreto.

§. 19. At quemadmodum per tutelam pupillis, ita per curationem minoribus & jure Lætorio, & M. Antonini legibus proviſum eſt. Eſt autem curatio *poteſtas adminiſtrandi bona, & rem familiarem eorum, qui rebus ſuis ipſi ſupereſſe nequeunt*. Ipſa vero ætas minorennis anno ætatis 25. finiri ſolet, niſi ætatis venia beneficio Principis obtineatur. Sed præter pupillos, atque ætate minores impeditum etiam ii dominium habent, quos non ſemel videmus conſtringi omnino, ne certa quædam bona alienare poſſint. Bona hoc vinculo af-

fecta

(*a*) De Contract. §. 3. n. 4. (*b*) Lib. I. tit. 35.

fecta *vinculata* dicuntur, Habent igitur hi omnes dominium quidem, ſed a legibus impeditum.

§. 20. Quum vero duplex ſit prohibitionis genus, aliud quod rem prohibitam reddit ſolum illicitam, aliud quod reddit præterea irritam, diligenter videndum eſt, quonam prohibitionis genere dominium impeditum ſit. Omnino quæ contra jus fiunt, pro infectis habenda eſſe putavit Baldus, cui plures alii ſuffragati ſunt: contraria tamen ſententia, quam doctiſſimus Suarez tenet (*a*) cum pleriſque Theologis, adeo mihi certa videri ſolet, ut mirari ſubſit tot eruditiſſimos viros illud non vidiſſe, ſe una Innoc. III. auctoritate corruere, ac debilitari. Siquidem explorati juris eſt, imo principii inſtar, multa prohiberi, ne fiant, *quæ ſi facta ſint, obtinent roboris firmitatem* (*b*). Quapropter ſedulo inſpiciendum, an lex præſcribat conditionem quamdam, quæ ſit de ſubſtantia actus; an iis verbis utatur, quæ irritationem exprimant; demum attendenda conſuetudo, quæ optima legum interpres eſt. Quod ſi nulla fuerint irritationis argumenta, mere prohibentem dicam, legem irritantem eſſe non dicam. Atque hæc hactenus de iis, qui quum domini ſint, lege tamen prohibentur, quominus omnino diſponant de rebus ſuis.

§. 21. Sequitur, ut de iis dicendum ſit, qui in alio bonorum genere dominium habere poſſunt, in alio vel omnino non poſſunt, vel ſolum imperfectum. Itaque alia eſt conditio Filiifamilias, alia filii emancipati, alia uxoris. Et quum id quod poſſidetur ab homine alieni juris, qualis eſt filius ſub patria poteſtate, dicatur peculium, de hoc in præſentia videndum, quotuplex ſit. Jam

 ergo

(*a*) Lib. 5. cap. 25. (*b*) Cap. 16. de Regular.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ergo peculium aliud eſt *Caſtrenſe*, uti militaria ſtipendia, aliud *Caſtrenſi proximum*, ut quod adquiritur litterarum profeſſione: hoc ſolo diſcrimine, ut caſtrenſe adquiratur ratione militiæ armatæ, quaſi caſtrenſe vero ratione militiæ ſive litterariæ, ſive togatæ. Horum plenum perfectumque dominium penes filiumfamilias eſt. Altera peculii diviſio eſt in profectitium, & adventitium; e quibus illud datur filiofamilias contemplatione Patris, ut ab eodem proficiſci videatur; iſtud vero aliunde advenit, puta ex hæreditate, legato, fortuna proſpera. Ex iis profectitium totum debetur Patri; adventitium vero quoad dominium directum Patris eſt, quoad dominium utile eſt filiifamilias. Hinc pronum eſt conjicere, quænam vis inſit vulgato illi: *Quidquid filiusfamilias adquirit, Patri adquirit*. Ampliſſimæ olim poteſtatis patriæ privilegium hoc eſt.

§. 22. Nam quum lege Romulea tria illa licerent familiæ principi, primum ultimo etiam ſupplicio animadvertere in filios, deinde ipſos venumdare, tertio per eoſdem adquirere; ſubſequentibus temporibus nimia hæc poteſtas patria temperari cæpit, donec a Conſtantino Magno jus vitæ, & necis ſanctione pœnali omnino ſublatum eſt, jus venumdandi filios ſanguinolentos permiſſum ob periculum expoſitionis, cui tamen periculo ſalubrius deinde provideri voluit. Quare Patribus una reliqua poteſtas eſt adquirendi per liberos. Sed neque iſta tanta in præſentia eſt, atque olim fuerat. Jam enim a Claudii, & Neronis tempore, *quæ ſunt parta labore -------- Militiæ placuit non eſſe in corpore cenſus* (*a*). Hæc de filiis, qui ſunt ſub patria

(*a*) Juvenal. ſat. ult.

Digitized by Google

tria poteſtate. Iſta vero ſolvitur multipliciter, ſed emancipatione imprimis, quam Juſtinianæam dicunt, ſcilicet auctoritate Magiſtratuum. Uſus tamen invaluit pleriſque in locis, ut per nuptias, ſeparatamque æconomiam filii liberentur a poteſtate patria, & fiant ſui juris, ac proinde quæcumque adquirant, ſibi adquirant, ita tamen, ut familiæ jura ſalva atque intacta maneant. Quapropter in hac re conſuetudines locorum inſpiciendæ ſunt (*a*).

§. 23. Uxoris ea conditio eſt, ut bonorum dotalium habeat ſolum dominium directum, utile penes maritum ſit. Hinc conſtante matrimonio dicitur quieſcere. Habet autem ſuas cautiones doctrina iſta: Quid enim ſi dos æſtimata fuerit? Quid ſi in re mobili conſtituta ſit? (*b*) At Paraphernalia, ſive præterdotalia pleno jure uxoris ſunt. Itaque de iis quæ ipſi obveniunt ex hæreditate, legato, dono, diſponere poteſt arbitratu ſuo. Accedunt ſi qua lucretur proprio opificio, induſtriave, modo familiæ non deſit. Quod ſi bona communia ſint, jus dividitur inter utrumque: adminiſtratio vero penes Maritum eſt. Conſule Molina (*c*).

§. 24. Res ipſa me monebat, ut de Servis, ideſt Mancipiis dicerem: at eos miſſos facio, quippe in explicanda poteſtate dominativa nullum hic loci operæ pretium futurum eſt. In ea diſcutienda Auctores multi, & copioſi ſunt. Eorum vero, qui, abdicato ſponte rerum dominio, & liberrima quadam ſervitute Deo ſe totos devovere, ea con-

 ditio

(*a*) V. Conſtit. Benedict. XIV. *Poſtremo menſe*. tom. 2. (*b*) V. Cod. & D. h. t. & Palaum. Diſp. 9. (*c*) V. Molin. Tract. 2. Diſp. 272.

ditio eſt, ut ſi quid adquirant, Monaſterio adquirant (*a*). Hæc expediti juris ſunt.

§. 25. Illa vero implicata controverſia eſt, an Clerici bonorum Eccleſiaſticorum domini, an meri æconomi habendi ſint. Sed juvat primum diſtinguere Clericorum bona. Singularis in jure Canonico textus eſt de *Peculio Clericorum*. Hujus autem nominis *Peculium* in jure Civili ea vis eſt, ut quidquid illi, qui ſui juris non ſunt, nempe filiusfamilias, vel ſervus, *a rationibus paternis, ſive Dominicis ſeparatum habent*, id peculium dicatur (*b*). Et hac quidem ratione Clericorum peculium in eo ſolum conſtituendum eſſet, quod a rationibus Eccleſiæ ſeparatum ſit. Nihilominus in Jure Canonico peculii nomen omnia complectitur Clericorum bona, licet ſui juris ſint. Bonorum autem, quæ ſunt in peculio Clericorum, ea diviſio eſt, ut alia ſint Patrimonialia, quæ nulla Eccleſiæ, ſive Beneficii contemplatione Clericis obveniunt, puta ex hæreditate, donatione, induſtria. Iis ſimilia habentur ea, quæ Clericis conferuntur in mercedem, ſive ſtipendium laboris ſui, ex. c. dum funus ducunt, concionantur, & qui *redditus Stolæ* appellari ſolent: quæ quidem quaſi patrimonialia recte dixeris. Huc revocantur parſimonialia, ſive quæ ſuperſunt ex iis, quæ honeſtæ ſuſtentationi aſſignata ſunt, propterea quod Clericus iis pepercerit frugalius vivendo. Horum, uti & cæterorum omnium, quæ honeſtæ ſuſtentationi neceſſaria ſunt, dominium Clericis aſſeritur juxta communiſſimam ſententiam. Nec teneri Clericos, qui bonis ſuis ſuſtentari poſſunt, dimittere ſtipendia Eccle-

(*a*) Cap. *Quum ad monaſter.* de Stat. monach. cap. *olim* 2. de Privileg. (*b*) L. 5. D. de Pecul.

Eccleſiæ, ſed poſſe nihilominus ex Altari vivere, cui inſerviunt, conſtat ex cap. *Cum ſecundum Apoſtolum* (*a*), ex cap. *Fixum* (*b*), & ex Concil. Agathenſ. Similia videſis apud D. Thomam (*c*), Cajetanum, Sylveſtrum, Sotum, Innocentium, Hoſtienſem, Panormitanum, quos citat Aragonius (*d*), & quibus ſubſcribunt recentiores frequentiſſimi. At D. Hieronymus (*e*) videtur diverſa ſentire. Videtur quidem; ſed ſi recte interpreteris, non ita eſt. Conſule D. Thomam (*f*), Corradum, Sotum (*g*). Alia ſunt, quæ ſpeciatim dicuntur Eccleſiaſtica, illa nimirum, quæ vel ad Eccleſiæ fabricam, & ornatum, vel ad ſacram ſupellectilem ſive parandam, ſive conſervandam, vel ad Noſocomia, aliaque pia opera, vel ad ſtabilem Miniſtrorum ſuſtentationem deſtinata ſunt, uti prædia, fundi, atque alia id genus. Et hæc quum non tam Clericis, quam Eccleſiæ collata fuerint, bona Eccleſiæ potius, quam Clericorum ſunt: quinimmo adeo non ſunt ſub Clericorum dominio, ut ii qui eorumdem bonorum diſpenſatores ſunt, niſi illis diſtribuant, quibus debent, & reſtitutioni obnoxii ſint, quippe qui violaverint juſtitiam commutativam (*h*), & graviſſimis pœnis ſubjaceant. Adi Clementinam *Quia contingit* (*i*), & Trident. Synodum (*k*), ubi de Noſocomiorum bonis, atque eorumdem adminiſtrandorum ratione. Videſis etiam cap. 1. ubi inhibetur Epiſcopis, ne quidquam ſibi vendicent ex iis bonis: id quod Canone Apoſtolorum 37. jam olim conſtitutum

(*a*) De Præbend. (*b*) 12. q. 5. (*c*) Q. 185. (*d*) In quæſt. 86. (*e*) Ep. ad Nepotianum. (*f*) loc. cit. (*g*) Apud Aragonium ſuperius. (*h*) V. D. Thom. q. 62. (*i*) De Relig. dom. (*K*) Seſs. 25. cap. 8. de Ref.

tum fuit (*a*). Poſtremum bonorum genus ſunt *Beneficialia*, quæ Clericis obveniunt contemplatione Beneficii, quales ſunt decimæ, redditus annui, uno verbo fructus beneficii, ſive Præbendæ. Porro ex his alia neceſſaria ſunt honeſtæ ſuſtentationi, pro qua definienda ex præſcripto Tridentini (*b*) conſul. Sanch. (*c*) & Gabriel a S. Vincent. (*d*): alia ſuperſunt ſuſtentationi congruæ. Quibus a principio diſtinctis explanatiſque ad controverſiam gradus fiat.

§. 26. Illud enim quæritur, an eorum bonorum, quæ honeſtæ ſuſtentationi minime neceſſaria ſunt, ac proinde ſuperfluunt, Clerici ſint revera domini, an Æconomi tantum, & diſpenſatores: ut ſi domini fuerint, non agant contra Juſtitiam, utcumque de ipſis bonis conſtituerint; ſin autem, & contra juſtitiam peccent, & reſtitutioni obnoxii fiant. Duæ de hac re Auctorum ſunt diſcordes inter ſe diſtractæque ſententiæ. Hæc ait, illa vero negat.

§. 27. Verum illud feſtivum, ſi quid video, quod in argumento per ſe graviſſimo ita D. Thomas producatur & pro ſententia ajente, & pro negante, ut alterutrum neceſſe ſit vel D. Thomam, contra ac ſolet, in re tanti momenti obſcurum atque ambiguum eſſe, vel Auctores abreptos fuiſſe præjudicata quadam opinione, qua fieret, ut in Angelico legerint, non quod ſcriptum ſit, ſed quod ſcriptum vellent. Quid enim? In Quodlibeto 6. ſtare D. Thomam pro ſententia ajente Clericos eſſe dominos illorum bonorum, plane perſpectum atque exploratum eſt. Audi quæ ſub-

(*a*) Tom. 1. Collect. Arduini. (*b*) Seſs. 21. cap. 1. (*c*) 2. Conſil. cap. 20. (*d*) Conſil. 100.

ſubjicit quæſt. 7. art. 12. ad 3. *Aliter dicendum eſt de illis Eccleſiaſticis bonis, quæ principaliter ſunt attribuenda neceſſitatibus pauperum, & ex conſequenti neceſſitatibus Miniſtrorum, ſicut ſunt bona Hoſpitalium, & aliorum hujuſmodi; & aliter de illis bonis, quæ ſunt principaliter attributa uſibus Miniſtrorum, ſicuti ſunt Præbendæ Clericorum, & alia hujuſmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non ſolum ex abuſu, ſed etiam ex ipſa rerum conditione, dum aliquis in ſuos uſus aſſumit, quod eſt alterius, & ideo tenetur ad reſtitutionem, tanquam defraudator rei alienæ. In ſecundis verò bonis non committitur peccatum, niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt: unde non tenetur quis ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnitentiam peragendam.* Atque ibi quidem Angelicus ea perſpicuitate aperuit mentem ſuam, ut plerique contrariæ ſententiæ patroni cedant libenter D. Thomam in Quodlibeto; & ſolum in Summa, in qua dicunt retractaſſe ſententiam, velint ſuum. Nihilominus in Quodlibeto illo Cuniliati legit nonnulla verba, quæ decretoria putat, atque ex iis interpretanda alia, ſiqua æquivocationem aliquam præſeferant. Quænam vero illa? *Bonorum vero Eccleſiaſticorum Clerici non ſunt veri domini, ſed diſpenſatores.* Sed de quo tandem genere bonorum Eccleſiaſticorum locutus eſt D. Thomas? An de quocumque omnino? Minime id quidem. Mentem ipſe ſuam Sanctiſſimus Doctor interpretatus eſt, ne nobis fucus fieret. Recita ſuperiora: *Aliter dicendum*, & quæ ſequuntur. Ergo quæ decretoria putat Cuniliatius, quum minime ſint, ſed præ multiplici ſenſu æquivocationem præſeferentia, ad hanc D. Thomæ interpretationem exigenda ſunt.

Qua-

Quare plerique D. Thomæ interpretes fatentur id, quod res eſt, & D. Thomam in Quodlibeto dominium illorum bonorum, de quibus modo controvertitur, Clericis aſſeruiſſe multo apertius dicunt, quam ut negari poſſit. At retractavit ſententiam in Summa. Ain' vero? Atqui Lambertino contra videtur D. Thomas in Summa (*a*) doctrinam confirmaſſe, *Præmiſſa ſiquidem diſtinctione bonorum, & differens de Eccleſiaſticis proventibus Epiſcopi ſuſtentationi aſſignatis:* inquit, De iis autem, quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de propriis bonis (*b*). Quænam vero illa? *Ut propter immoderatum affectum, & uſum peccat quidem, ſi immoderate ſibi retineat, & aliis non ſubveniat, ſicut requirit debitum Charitatis.* Conſule Cabaſſutium Scriptorem Gallum (*c*), & Cardin. Gotti Theologum imprimis modeſtum, ac philalethem, qui quum ejuſdem atque Cuniliati ſententiæ ſit, candide tamen fatetur ſibi contrarium D. Thomam. Nullus reliquus videbatur eſſe de D. Thomæ mente dubitandi locus. Gennettus (*d*) tamen ſolitam illam ſingularem perſpicuitatem ibi deſiderat, additque D. Thomam verbis in ſpeciem ambiguis uſum eſſe. Sed aliquid dicendum erat, *ne ſibi contrarium fateatur Angelicum*, ut pulchre notat Lambertinus (*e*). Tanti erat: quærendus proinde fuit vel in ſcirpo nodus.

§. 28. Nec vero iſtud in uno accidit D. Thoma. Namque idipſum cernere eſt in D. Carolo Borromæo, qui quum nitide aperteque in prima Syno-

(*a*) 2. 2. q. 185. a. 7. (*b*) De Syn. Diocæſ. lib. 7. cap. 2. §. 10. (*c*) In Theor. Jur. Canonic. lib. 2. cap. 27. (*d*) Theol. Mor. tom. 7. tract. de Benef. (*e*) Loc. cit.

Synodo Mediolanenſi ſermonem feciſſet de iis bonis, quæ diverſis oneribus ſubjacent *natura ſua*, puta dotandarum Virginum, ornandi Templi, atque his ſimilium; quæ quidem bona *ſi ſibi vindicaverint, eorum omnium neceſſaria reſtitutione teneri* dicit (*a*): non defuit tamen, qui magnum ſibi ex his verbis præſidium comparare ſtuduerit, ut ſententiam, quæ injuſtitiæ damnat Clericos, non expendentes ſuperflua in pios uſus, fortius ſtabiliret. Sed nihil in tota hac auctoritate ſibi compertum, quo ſententia illa fulciatur, ingenue fatetur Lambertinus. Quin imo obſervat, ubi ſermo eſt de proventibus, qui uberiores ſunt, quam requirit uniuſcujuſque conditio, hic D. Carolum perſpicuis apertiſque verbis primum hortari obteſtarique Clericos, ne iis abutantur; deinde eos monere, ſi ſecus fecerint, *ob violatam ſanctiſſimæ Charitatis legem mortale peccatum commiſiſſe*. Sed de violata juſtitia ne verbum quidem.

§. 29. Eant modo, qui Natalem Alexandrum imitati auctorem faciunt D. Carolum ſententiæ, quam nullibi ſcripſit; & quærant, quid ab eo, qui beneficium poſſidet, reſpondendum ſit *viro adeo eximio, qui mentem ac ſpiritum Tridentinæ Synodi jam imbiberat*. Reſpondebit nimirum, ſi modo ſapit, ſe & nolle *ſibi vendicare, quæ aliis oneribus deſtinata ſunt*, & daturum operam, ut ſi quæ ſuperſint honeſtæ ſuſtentationi ſuæ, non ea expendantur in profanos uſus, ſed *in Dei cultus ſplendore, & in ſublevanda pauperum inopia*. Quin & laudabit, quiſquis ille ſit, beneficii poſſeſſor D. Caroli benignitatem, qui quum non ignoraret ex iis auctoribus, qui obligationem juſtitiæ negant, alios

(*a*) Acta Eccl. Mediolanenſ. part. 1.

alios velle obligationem expendendi in uſus pios, quæ compertiſſima eſt, fluere e virtute Religionis, alios ex poſitivo præcepto Eccleſiæ, alios demum e ſola Charitate, qua jam tenentur Chriſtiani cæteri, benigniorem poſteriorum ſententiam amplexus fuerit. Atque hæc ego primum expedire volui, quo reliquus controverſiæ curſus planior ac facilior evaderet.

§. 30. Jam ergo de propoſita quæſtione ſic exiſtimo. Si obligatio ex juſtitia, quæ per ſe graviſſima eſt, iis argumentis inniteretur, quibus res tanta fulcienda erat, Navarri, & Gallorum Scriptorum fere omnium (ſi fides Cuniliati) ſententiæ volens ego libenſque ſubſcriberem. Sed dum attentius lego D. Thomam, & Dominicum Sotum, dum Lambertinum, Salmanticenſes, Lugonem, Cabaſſutium, Pichler, Cuniliati, Jueninum, alios diligentius evolvo, atque tempora diſtinguo, in quibus Patres ſcripſere, & Eccleſiæ Canones conditi ſunt, nihil hactenus reperire potui, quo obligatio ex juſtitia ſatis confirmata ſit. Producitur quidem auctoritas Patrum. Verum ii vel ſcripſere ante bonorum diviſionem, quæ facta eſt, ſtatuente Simplicio (*a*) & confirmante primum Gelaſio (*b*), deinde D. Gregorio Magno (*c*), ut nimirum altera pars Epiſcopo, alia Clericis, duæ aliæ partim Eccleſiæ, partim egenis deſtinarentur (*d*); vel ſcripſere poſt diviſionem factam. Si prius, nihil efficies; quum alia eſſet ratio illorum temporum, diſciplina alia. Etenim ante Simplicianam diviſionem quatuor præceſſerunt tempora, quæ diſtinguit Bar-

(*a*) Cap. de reddit. (*b*) Cap. *Conceſſo*. (*c*) Cap. *Cognovimus*. (*d*) V. Thomaſſinum de vet. & nov. diſc. Eccl. part. 3. lib. 2. Labbæum tom. 4. Concil. pag. 1069.

Barboſa. Primum Apoſtolorum, in quo vigebat bonorum communio; alterum poſt Conſtantini M. ætatem, quum aucto fidelium numero Laici cæperunt retinere ſua, Clerici adhuc in communi vivebant. Prædia tunc temporis a fidelibus donata miniſtrabant Epiſcopi (*a*). Tertium conſecutum eſt tempus, in quo Clerici cæperunt patrimonia habere, ita ut nihil caperent de bonis, quæ pauperibus deſtinata fuerant (*b*). Poſtremum eſt, in quo Paræciæ diviſæ ſunt, & redditus in quatuor partes diſtributi, quæ diviſio Pp. Simplicium auctorem habuit, ut plerique exiſtimant.

§. 31. Alii vero Patres, qui poſt diviſionem factam ſcripſere, qualis D. Bernardus (*c*), hyperbole loquuti ſunt ipſis familiari, qua avaritiam contra miſericordiam pauperibus debitam rapinam dicunt. Non meus hic ſermo eſt, ſed graviſſimi Theologi Dominici Soti. Similes ego loquendi formulas non ſemel obſervavi in Patribus, dum invehuntur in Chriſtianorum avaritiam. Notum illud: *Si non paviſti, occidiſti*. Quo etiam D. Carolus uſus eſt, dum hortaretur Clericos, ne charitatem violarent. Quid enim? An divites ſi clauſerint viſcera miſericordiæ ſuæ, & non intenderint ſuper egenum, & pauperem, de Patrum ſententia injuſtitiæ damnandi ſunt? Et hæc ſtrictim dixiſſe ſatis fuerit, ne quis Sotum vituperandum putet, quod eam in Patribus loquendi rationem hyperbolem dixerit. Unum illud prætermittendum non eſt, ſi adeo nitida atque aperta eſſet Patrum auctoritas, qua aſſeritur obligatio Juſtitiæ, qui fieri poſſet, ut D. Thomas vel eam omnino negaverit, uti

(*a*) Cap. *Videntes*. (*b*) V. Aug. cauſ. 12. q. 1. can. *Certe*. (*c*) Ep. 2. & 4.

uti ego exiſtimo, vel ita conſtituerit, ut tamen ejuſdem ſenſus dubius atque ambiguus ſit?

§. 32. Jam quæ de Patribus diximus, Conciliis etiam Canonibuſque applicanda ſunt. Etenim quæcumque agglomerat Cuniliati Patrum, Conciliorumque judicia, ſi adeo firmarent ſententiam ſuam, atque ipſe putat, cur Tridentini Patres efformatum prius de hac re decretum ea ratione innixum, *quia Eccleſiaſticorum proventuum diſpenſatores* (Clerici) *tantum ſunt*, quum eidem interceſſiſſent & Card. a Lotharingia, & Guerrerus Archiep. Granatenſ., ne detrimentum afferret ſententiæ, uti ipſi ajebant, *valde communi*, corrigendum duxere? En ut nihil certi exploratique ex Conciliis, & Patribus erui poſſe, ut Clericis negaret dominium illorum fructuum, Eccleſia judicaverit; quum tamen e converſo circa bona, quæ Eccleſiaſtica diximus, ſcilicet fundos, prædia, aperte id declaraverit Alexander III. (*a*). Quæ Tridentinorum Patrum agendi ratio tanti momenti viſa eſt Benedicto XIV. (*b*), ut conſulendum duxerit Epiſcopis, ne controverſiam iſtam in ſuis Synodis definire velint.

§. 33. Sed a Patribus Conciliiſque ad voluntatem Teſtatorum, quam non aliam fuiſſe præſumendum eſt, quam ut ſuperflua ex illis bonis, quæ contulere ad Clericorum ſuſtentationem, pauperibus dividerentur. Age ſane, inquam. Fuerit hæc Teſtatorum voluntas, qualem Navarrus putat. Quid tum? Deductane fuit in pactum? Donec iſtud probaverit Navarrus, aut ſi quis alius, nihil efficiet, ut docte ratiocinatur Cabaſſutius. An quia Pater minime vult, ut quæ Teſtamento relinquit

(*a*) Cap. *Fraternit.* de donat. (*b*) Loc. cit.

linquit bona filio hæredi, ea iſte dilapidet; continuo filius violabit juſtitiam, ſi patrimonium diſſipaverit? Itaque ſola Teſtatorum mens, niſi in pactum deducta ſit, obligationem juſtitiæ parere non poteſt. Duo illa minime negaverim, primum Prælatos, ſive quorum eſt bona Eccleſiæ adminiſtrare, non poſſe, illæſa juſtitia, de iis bonis conſtituere, niſi in eos uſus, ad quos a fidelibus bona illa collata ſunt; ut ſi a Teſtatore aliquo ad dotandas virgines ex. gr. relicta fuerint, injuſte agant, niſi dotaverint. Vide ſuperius dicta ex doctrina SS. Thomæ, & Caroli. At minime eodem crimine tenentur Clerici, ſi ſuperflua expenderint in profanos uſus. Alia iſtorum cauſa eſt. Rem explico. Fac virgines dotatas eſſe. Eſtne quidquam amplius, quod fieri oporteat, ut bona illa expendantur ad Teſtatoris mentem? nihil certe reliquum eſt, niſi etiam illud contendas, teneri ex juſtitia virgines, quæ dotatæ ſunt, expendere in uſus pios, ſi quæ ſibi ſuperfluant. Hoc vero ſiquis dixerit, omnibus doctis, credo, de ſe ludibrium dabit. Quænam igitur illa major eſt Clericorum obligatio, poſtquam iis diſtributa illa ſunt, quæ de Teſtatorum mente ipſis dividenda fuerant? At, inquis, teneri eos ea lege, ut ſuperflua expendant in uſus pios, conſtans atque inconcuſſa Doctorum omnium ſententia eſt. Eamdem declaravit Tridentina Synodus, & verbis adeo perſpicuis apertiſque expoſuit, ut Lorca, unicus qui negare auſus fuit id a Tridentino præcipi, vapulet ab omnibus. Nolim ego longius ducere contentionis funem. Tenentur profecto Clerici ea lege; & de obligatione hujuſmodi, undecumque illa fuerit, nulla controverſia eſt. Illud contenditur, an ſit e

Teſtatorum mente ; atque ita quidem , ut pariat obligationem juſtitiæ . Hoc negamus , hoc probandum erat , & aſſignandum deinde diſcrimen , cur non etiam dotatæ virgines , cur non etiam alii , qui Clerici non ſunt , quibus tamen ſubvenitur e bonis Eccleſiæ , eadem , quam urges in Clericis , lege ex Teſtatorum mente teneantur .

§. 34. Dico deinde , contuliſſe fideles in Eccleſiam bona ſua ſub ſpe fidelis adminiſtrationis , piique uſus . Doctrina Lugonis eſt , qui ex eadem illud etiam conſequi exiſtimat , perperam agere Miniſtros Eccleſiæ , ſiquid ex iis expendant in profanos uſus . Atque iſta in cauſa fuere , quare graviſſimo præcepto Eccleſiæ , quominus id facerent , Clerici prohiberentur : cujus quidem præcepti quum ea ratio ſit , quia nimirum bona illa res Dei ſunt , patrimonium Chriſti , vota fidelium , pretia peccatorum ; non immerito ad virtutem Religionis tota illa obligatio referenda eſt : id quod eidem Lugoni placet . Eximendus tamen nonnemini ſcrupulus eſt ; ſiquidem eum illa inceſſit ſuſpicio , ne pars egenis deſtinata , quæ nullibi apparet , cum Clericorum bonis permixta ſit . Sed meminiſſe debuerat impenſarum non modicum factum eſſe in erigendis Noſocomiis , aliiſque piis locis : quin & ad bella contra Infideles gerenda pars redituum Eccleſiaſticorum non ſemel deſtinata fuit .

§. 35. Hactenus argumento , uti ajunt , negativo obligatio ex juſtitia expendendi ſuperflua in pios uſus exploſa eſt . Reſtat , ut dominium illorum bonorum aſſeramus , primum argumentis a jure petitis , ne nobis exprobret Cuniliati (*a*) , *quod miſeranda jurium inopia laboramus ;* deinde argumentis peti-

(*a*) Tract. 4. cap. 12. de Benef. §. 12.

petitis a ratione. Beneficiarii teſtamentum de fructibus beneficii irritum eſt de jure Canonico (*a*). Quidnam, rogo, opus erat, ut peculiari Conſtitutione invalidum fieret teſtamentum, quod jure naturæ irritum eſſet, utpote factum a non domino? At, inquis, non ibi teſtamentum irritum redditur, ſed declaratur. Puto ea de cauſa, quia jure naturæ irritum eſt. Verum urgeo, & quæro: Dum Pontifices teſtandi etiam ad profanas cauſas facultatem fecere nonnullis Clericis, reddideruntne validum, quod erat jure naturæ irritum? Fuiſſe qui diſpenſaverint, extra controverſiam eſt. Extat Conſtitutio Sixti IV., extat alia Julii III., extat & Pauli V. Quid tu ad iſta? Niſi diſpenſatum ab iis dicas in jure Eccleſiaſtico, quo teſtamenta illa a Beneficiariis condi prohibitum eſt, haud facile ſolves implicatum nodum. Neque enim integrum eſt ea Cuniliati reſponſione uti, ut dicas dominium illorum bonorum eſſe penes Eccleſiam, quod proinde transferre potuerit Summus Pontifex in privatos quoſdam. Quid enim, ſi, ut ipſemet docet ex D. Thoma (*b*), *quamvis res Eccleſiæ ſint Pontificis, ut principalis diſpenſatoris, non tamen ejus, ut domini & poſſeſſoris?* Accedit & illa propria adverſariorum ratio, quod illa bona collata ſint in Eccleſiam pacto quodam ſaltem implicito, ut ſuperflua pauperibus dentur. Pronum ergo eſt, ut dicamus & hujuſmodi pactum, quod obligaret ex juſtitia, iis Pontificibus ignoratum fuiſſe, atque exiſtimaſſe ſolius juris Eccleſiaſtici eſſe prohibitionem teſtandi, in qua proinde diſpenſare poſſent. Neque enim locus eſt dubitationi de poteſtate diſpenſandi, poſtquam a Pontificibus diſpenſa-

(*a*) Cap. *Reatum*. De teſtam. (*b*) 2. 2. q. 100. a. 1.

tum eſt (*a*). Ex quibus etiam fluit, id quod tradunt Covarruv., Sotus, Navarr., Azor., Garcias, Barboſa, alii apud Pichler de Teſtam., nimirum præſcribi legitime poſſe teſtandi conſuetudinem; quum juris expediti ſit, id poſſe conſuetudine introduci, quod obtineri poteſt privilegio. Quare quum Teſtamentariæ diſpoſitiones de Beneficiorum fructibus jure naturæ validæ ſint, & ſolum pro infectis habeantur jure Canonico, hinc argumento deducto ex ipſa Canonica agendi ratione conſequens eſt, ut bonorum illorum dominium penes Beneficiarium ſit.

§. 36. Quidnam vero egerint Tridentini Patres, ne huic ſententiæ jam tunc temporis valde communi detrimenti aliquid afferrent, ſuperius explanatum eſt. Sed repetam binis verbis. Expuncta fuerunt ea omnia, quibus enunciabatur Clericos eſſe diſpenſatores tantum. Sed dicet quiſpiam, quid? An illud amplius ab iiſdem Patribus declaratum eſt, Clericos eſſe illorum bonorum dominos? Declaratum ab iiſdem fuiſſe nemo unus dixerit. Eſt tamen quidquam, quod obſervatum velim. Namque in decreto altero eæ voces uſurpatæ fuere, quibus Bonifacius VIII. uſus eſt, dum loqueretur de dominio. Bonifacius enim (*b*) loquens de diſtributionibus quotidianis iis dumtaxat erogandis, qui divinis interſunt, ait: *Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quidquam acceperit .... rerum ſic acceptarum dominium non adquirat, nec faciat eas ſuas*. Quum vero Tridentini Patres in ea ſanctione, qua cavetur, ne Beneficiarius abſit a loco Beneficii abſque legitima cauſa, pœnam con-

(*a*) V. Bened. XIV. de Synod. cap. 6. (*b*) Cap. unic. *de Clericis non reſident.* in 6.

conſtituunt in abſentes, eam ita efferunt: *non faciant fructus ſuos* (*a*).

§. 37. Eſt qui reponat hoc idem valere, ac ſi Tridentinum diceret, *ſibi non adquirant*. Interpretatio enimvero ficta pro arbitrio, ſiqua alia. Etenim quum in Bonifacii decreto iis vocibus ſubjecta ſit notio dominii, cur non etiam ſubjiciatur in decreto Tridentini? Subtilius alii. Sermo eſt, inquiunt, de fructibus honeſtæ ſuſtentationi neceſſariis, non de ſuperfluis. Ego contra exiſtimo, velle potius Eccleſiam ſanctione illa pœnali Clericos privari ſuperfluis, quam neceſſariis; vel ſaltem ſuperfluis primum, neceſſariis deinde. Urgent: Non aliter, atque nos, D. Carolus Concilii decretum interpretatus eſt. Quid ſi omnino aliter, uti ſuperius ex Lambertino demonſtravimus? Quare minime mirandum erit, ſi ad *hæc paucula verba* (etſi non *ſola*; id enim Cuniliatio aſſentiri nequeo) reſpexerint Auctores innumeri, iique graviſſimi, & Theologi, & Canonum periti. Illud ergo conſtitutum maneat, quæ e medio jure depromuntur, vel non eſſe adverſus ſententiam noſtram, quia ſermo illic eſt *de Eccleſiaſticis bonis*, qualia explicuimus; vel ſtare pro eadem, dum de iis bonis loquuntur, quæ *Beneficialia* diximus, ideſt Beneficiorum fructus.

§. 38. At non ſolo jure Canonico res iſta conficienda eſt: venio ad argumentum aliud. Per rerum diviſionem adquiritur dominium (*b*): diviſio autem bonorum Eccleſiæ jam inde a longiſſimo tempore facta eſt. Illam enim Simplicius non tam videtur conſtituiſſe, quam executioni mandaſſe,

 qui

(*a*) Seſs. 23. cap. 1. & 24. cap. 12. (*b*) §. Finali Inſtit. de Off. Judic.

qui in Epiſcopum Gaudentium invectus eſt, propterea quod *non contentus portione ſua* tres alias uſurpaverat (*a*). Præterea tacitum illud, quod adverſarii urgent, fidelium pactum ſi quando fuerit, conſtringit quidem eos, quibus adminiſtrandorum bonorum provincia demandata eſt, ut ea non aliter diſtribuant, atque fideles ipſi de bonis conſtituerint. Verum ſi adminiſtratores omnia rite peregerint, ſi Eccleſiæ, Cleric's, pauperibus ea ſingulis diſtributa ſunt, quæ Teſtatores juſſerant, a fidelium voluntate ne latum quidem unguem diſceſſum eſt. Imo, inquis, longo intervallo, niſi ſuperflua expendant Clerici in uſus pios. Namque ideo plerique tanta redituum copia aucti fuere, ut ipſis ſuppeteret, unde alienam inopiam ſublevare poſſent. Sed a quo demum aucti ſunt? Nimirum ab adminiſtratoribus illorum bonorum, a Prælatis, ab Eccleſia. Quid vero Eccleſia? Audi D. Carolum, qui Eccleſiæ ſpiritum imbiberat: *dubitari non debet, ad hunc finem hanc copiam illis eſſe attributam, ut præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum ſatis eſſent, ſuppeteret etiam quibus divini cultus ornatus, & ſplendor conſervaretur, & pauperum inopia, & indigentia ſublevaretur* (*b*). Hic tantæ copiæ finis, hic ſcopus fuit. Ergone putandum erit, ſi ſecus fecerint, juſtitiam violaſſe? Violari ſanctiſſimæ Charitatis legem ait conceptis verbis D. Carolus: at nuſpiam dixit juſtitiam lædi. Viden' ut hæc ſententia, ſi non vera, certe iis rationum momentis ſuffulta eſt, quæ primum D. Thomam, deinde graviſſimos viros, Silvi-

(*a*) Legeſis Ep. ad Florentium apud Arduinum collect. Concil. (*b*) Loc. cit.

vium (*a*), Bannez, (*b*), Covarruv. (*c*), Barboſ. (*d*), Leſs. (*e*), Fagnan. (*f*) laxitatis hoſtem infenſiſſimum, Gonzalez (*g*), Molina (*h*), Lugonem (*i*), Pichler (*k*), Dominicum Sotum (*l*), Salmant. (*m*), alios movere ac perſuadere potuerint?

§. 39. Et hæc hactenus de dominii natura, boniſque, quæ ſub dominium cadunt, & de perſonis, quæ hujus, vel alterius generis dominii ſive capaces, ſive incapaces ſunt. Una reliqua eſt controverſia de honore, & fama, utrum in illorum bonorum cenſum referri debeant, de quibus poteſt quilibet conſtituere pro arbitratu ſuo. Accidit enim, ut Polilogus quidam, homo minime malus, ſed in hac parte multis non probatus, occulta ſua peccata loquaciter, & ex animi levitate proderet coram aliis. Nemo unus erat, qui loquacem hominis levitatem ſeſe infamantis non culpæ verteret ſaltem levi. Sed quodnam præcepti genus violaſſet, hinc inde exagitatum eſt. Alii juſtitiam dixere; mallebant alii ſolam charitatem ſui; nec defuit benignior quidam, qui de ſolo prodigalitatis vitio Polilogum accuſandum diceret. Res profecto digna, in qua diſcutienda nonnullus etiam a nobis impendatur labor.

§. 40. Ac primum quidem triplex famæ definitio eſt. Interdum enim *quod a majori parte populi publicatur*, fama dicitur; verum hæc publica eſt, & quæ latiſſime patet, comprehendens etiam famam

(*a*) In 2. 2. q. 185. a. 7. (*b*) Ibid. q. 32. (*c*) In cap. *Cum in Off.* de Teſtam. (*d*) Juris Eccl. lib. 3. (*e*) De juſt. & jure lib. 2. (*f*) In cap. *Siquis ſane* h. t. (*g*) Ibid. (*h*) De juſt. d. 4. (*i*) De juſt. & jur. tom. 1. diſp. 4. (*K*) H. tit. (*l*) De juſt. lib. 10. (*m*) Tract. 12. c. 2.

mam non bonam. Quare hæc definitio ut foro civili opportuna ſit, ab inſtituto tamen noſtro aliena eſt. Nobis enim vel unius tantum bona de altero exiſtimatio fama eſt, ut adnotavit Navarrus (*a*). Juris Canonici Peritis fama idem ſonat, ac *illæſæ dignitatis ſtatus*, *vita & moribus comprobatus*. Aſt ego fundamentum ibi, & quaſi radicem bonæ famæ video, ipſam vero famam non video. Tertia igitur cæteris præponenda eſt famæ definitio, quam ſupponit D. Thomas (*b*), nimirum *bona exiſtimatio de altero*. Quibus in anteceſſum expoſitis ad Polilogum veniamus.

§. 41. Itaque hic, mea quidem ſententia, nec peccavit contra juſtitiam, neque violavit charitatem ſui, ſed prodigalitate quadam ſolam læſit liberalitatem, & quidem leviter. Qui peccaſſe eum dixere contra juſtitiam, Auctorem habuerunt Cajetanum (*c*) in hac ſententia inter antiquiores fere ſingularem. Sed mirari ſubeſt, antiquatam, & a Theologis fere omnibus prælucente D. Thoma neglectam opinionem conatos eſſe innovare Auctores duo, Theologum alterum, alterum Juriſperitum. Namque eam tuentur & Euſebius Amort in Theol. Moral. & Strikius in quæſt. Jurid. At quibus tabulis injuſtitiam probant? Si de Cajetano quæris, argumento utitur in ſpeciem gravi; de duobus aliis hoc unum dico, potuiſſe ſibi eos ſolvere ſua ſophiſmata, modo illud animadvertiſſent, aliud eſſe exiſtimationem veram, aliud bonam. Sed preſſius agamus. Itaque plerique Theologi principii inſtar illud ſtatuunt, quod etiam a nobis conſtitutum eſt, eorum unumquemque domi-

(*a*) In cap. *Inter verba* q. 9. (*b*) 2. 2. q. 73.
(*c*) Q. 73. a. 2.

minum eſſe, quæ propria uniuſcujuſque induſtria atque labore parta ſunt. Talem vero eſſe ſamam quiſnam dubitet? Undenam enim iſta, niſi ex probatis moribus? ut proinde tutiſſima & quaſi compendiaria via ad famam ea a Socrate dicta ſit, ſi quis talis eſſe ſtuderet, qualem ſe haberi vellet (a). Atqui honeſti actus, e quibus probi habitus fiunt, ſive virtutes, adeo labori noſtro adſcribendi ſunt, ut dignos etiam nos reddant, qui præmio donemur. Quid? quod & famam abjicere fas eſt propoſito honeſto fine. Illuſtres ſanctitate Viri, ſive qua erant animi demiſſione, vel ut declinarent popularem auram, famæ non pepercerunt ſuæ. Quæ quidem abſque famæ dominio conſiſtere non poſſunt. Accedit graviſſimum illud onus reparandæ proximorum famæ, ſi quando abſque legitima cauſa quidquam ipſi detractum eſt. At undenam, rogo, onus reſtituendi, ſi nihil proximo abſtuleris, quod eſſet ſuum? Quorum omnium, ſi in ſummam referantur, ea vis eſt: Quandoquidem homo circa famam ſuam multiplicem exercet dominii actum adquirendo, cedendo, recuperando; qui ſe ipſum infamat, diſponit de re ſua; ut proinde violaſſe juſtitiam minime dicendus ſit.

§. 42. Sed inſurgit Cajetani ratio ex altera parte. Quum homo ſit Reipublicæ membrum, ipſius fama non ſolum erit ſua, ſed etiam Reipublicæ: e quibus efficitur, ut infamando ſeipſum, Rempublicam etiam, cujus eſt pars, infamet neceſſe ſit. Et confirmari exinde poterat, quod illi ipſi, qui in hac re a Cajetano diſſentiunt Theologi, illud tamen non negant, Monachum qui ſe ipſum infa-

(a) Apud Xenoph. 2. Comm.

infamat, poſſe interdum proprio Ordini injuriam fieri (*a*). Certe non alia de cauſa, niſi quia infamia membri fit etiam totius corporis infamia. Verum probare debuiſſet Cajetanus inter privatum civem, totamque Rempublicam eam conjunctionem eſſe, ut partis cujuſdam dedecus redundet in infamiam totius: Hoc opus; hic labor eſt: Nam Theologi fere ad unum omnes aliter exiſtimant; & quidem merito: Neque enim apparet, quidnam Reſpublica deperdat de exiſtimatione ſua; ſi unus aliquis e multis male audiat ob depravatos mores. At, inquit, quorſum Auguſtini illa? *Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra* (*b*). Nimirum eo ſpectant, ne ſcandalo cuiquam ſimus. Et hanc eſſe Auguſtini mentem probat ipſe liber *de Bono Viduitatis*, unde lacinia illa decerpta eſt.

§. 43. Aliam, atque Cajetanus, viam inivit Strikius. Sic enim ait: Eſt fama virtutis umbra, eamque conſequitur. Sed quemadmodum nihil poſſumus contra virtutem illæſa honeſtate, ita nec contra famam. At hæc Strikii ratiocinatio pro eo eſt, ac ſi quis diceret: Recte honeſteque factis ſua præmia conſtituta ſunt. Quemadmodum igitur nihil poſſumus contra recte facta, illæſa honeſtate, ita nec contra illa præmia. Ex quibus illud conſequitur, ut nec ipſa recuſare, dum exhibentur, nec ſemel comparata dimittere poſſimus. Quod quidem eſt contra ſenſum doctorum, & indoctorum. Inſtat hoc dilemmate: Vel aliorum de te exiſtimatio tuæ virtuti conformis eſt, vel ſecus. Si conformis non fuerit, non hæc fama, ſed error eſt. Fac eſſe conformem: hæc ut minua-

(*a*) V. Navarr. Manual. cap. 18. (*b*) Relatus cap. *Non ſunt audiendi* q. 3.

tinuatur, alterutrum fiat neceſſe eſt, nimirum ut vel boni deſinant recte judicare, vel ipſe deſinas bene agere. At non ea huic dilemmati vis eſt, ut propterea a ſua ſententia, cui ſubſcripſimus, moveatur D. Thomas. Recitemus verba: *Melius eſt, quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo homine bono: quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo* (*a*).

§. 44. Eſto, inquiunt graviſſimi Theologi Azor; Malder. Valent. Non fuerit injuſtus Polilogus: at ſaltem læſit charitatem ſui. Etenim ea quiſque tenetur lege, ut ſe ipſum diligere debeat, ſibi non nocere. Hæc illi: quibus ut reſpondeam, de charitatis erga nos ipſos indole quædam præmittenda ſunt. Charitate igitur nos ipſos diligimus, ſi nobis ipſis velimus bonum; diligere enim velle bonum eſt. Sed quemadmodum veteri illo *noſce teipſum* non id præcipitur, ut membra noſtra, ut figuram noſcamus: *non enim tu is es*, ait Africanus (*b*), *quem forma iſta declarat, ſed mens cujuſque is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poſſit:* ita charitatis præcepto, quo nos jubemur diligere, illud præcipitur, ut videlicet animæ noſtræ velimus bonum. Quod quidem bonum non in alio, quam in ſalute æterna, & in iis, quibus comparanda eſt, collocari poteſt. Quare ab illo adimpletur præceptum charitatis ſui, qui ſibi procurat ſummum æternum bonum. Cætera vero ſive corporea illa ſint, ſive, uti ajunt, temporalia, eatenus quiſque procurare debet, quatenus opus ſit ad priora illa ſive comparanda, ſive tuen-

(*a*) Q. 60. a. 4. (*b*) In ſomnio Scipionis.

tuenda. Quod qui non facit, is profecto non diligit ſeipſum, agit contra charitatem ſui. Si quæ vero ſunt, ſine quibus priora illa conſiſtere poſſunt, hæc ſi quis negligat, aget interdum inhoneſte quidem, leviter peccabit, at non continuo de violata charitate ſui damnandus eſt. Quare diſtinguendum eſt nocumenti genus, quod quiſque ſibi affert; nec quodcumque fuerit damnum, charitatis læſio haberi debet (*a*). Quid enim, ſi ſaluti, ſi bono animæ non nocet?

§. 45. Talis vero fuiſſe videtur Polilogi infamia. Neque enim nobis eſt animus eum tueri, ſi ſua ipſius fama ad ſalutem vel alienam, vel propriam fuiſſet neceſſaria. Nihilne ergo a Polilogo peccatum eſt? Imo vero: atque eadem tenetur culpa, atque alii quicumque bonis ſuis non utuntur, ſed abutuntur. Quod quum ſpectet ad Prodigalitatis culpam, hæc autem niſi aliud accedat, per ſe ſit levis, propterea Polilogus leviter tantum peccaſſe dicendus eſt. Quæ hactenus de fama diximus, intelligi etiam volumus de honore. Eſt vero honos *teſtificatio dignitatis alienæ* (*b*). Sed jam ad reliqua progrediamur.

DIS-

(*a*) V. Petrum Aragon. in 2. 2. q. *62*. (*b*) Ariſtol. 5. Ethic.

DISSERTATIO ALTERA.

De ratione comparandi Dominii tum Jure Gentium, tum Jure Civili, & Canonico per Uſucapionem.

§. 1. QUi de ratione quærunt, qua dominium comparari poteſt, non eam illi deliberationem introducunt de tota facultate legitima; ſed poteſtatem ſupponentes, ſive libertatem phyſicam, quæ nobis natura ineſt, inquirunt deinde, undenam fiat, ut hæc poteſtas evadat legitima, ideſt legibus conſentanea. Quod unum ſi deſit, tota illa facultas, non jam dominium, ſed injuſta uſurpatio eſt. Exiſtunt igitur quædam cauſæ, *titulos* dixere, ob quas alterum alteri in rerum uſu leges anteponendum volunt. Quare minime aſſentior iis, qui cum Gerſone (*a*) titulum dominii eſſe ipſum dominium putant. Sed aliæ ſunt cauſæ, quas probat Jus naturæ, aliæ, quas Jus gentium, aliæ demum, quas Jus poſitivum. Hinc illa titulorum diviſio in naturales, ſic eos vocat Imperator (*b*), & in civiles. Priorum vero alii ſunt primævi, quos *originarios* vocat Grotius (*c*), alii ſecundarii, quos idem vocat *derivativos*: e poſterioribus alii dicuntur univerſales, ſingulares alii (*d*). Singulos perſequamur.

§. 2. Itaque primus omnium titulus ex iis, quos naturales originarios diximus, *occupatio* eſt. Hæc autem ita deſcribitur, ut ſit: *Apprehenſio rerum corpo-*

(*a*) Apud Conradum tract. 1. (*b*) §. 11. Inſt. *de rer. div.* (*c*) Lib. 2. cap. 3. (*d*) §. ult. Inſt. *per quas perſonas*.

Digitized by Google

corporalium nullius cum animo ſibi habendi. Hinc illud: *quæ nullius ſunt, cedunt occupanti*. Nullius vero cenſentur eſſe, quæ vel nunquam ſub dominio fuere, vel omnino vacant, vel habita pro derelictis amiſere dominium (*a*). Huic titulo favent jus naturæ, & gentium (*b*): illud quidem permittendo dominium, iſtud conſtituendo tuendoque ob publicam quietem (*c*). *Nam ſibi ut quiſque malit, quod ad uſum vitæ pertineat, quam alteri adquirere conceſſum eſt*, ait accurate Tullius (*d*), *non repugnante natura*. Sed idipſum quod natura conceſſit non reſiſtens privato dominio, jure deinde gentium confirmatum fuit, ut eorum *quæ natura fuerunt communia, quod cuique obtigit, hoc quiſque teneat*; atque ita ſervetur cum civium conjunctio, tum vel maxime humani generis ſocietas (*e*).

§. 3. Ad occupationem revocantur venatio, inventio, acceſſio, atque occupatio bellica. Et quidem venatio, quo genere continentur & piſcatio, & aucupium, ſi fiat ferarum beſtiarum, legitima occupatio eſt. Itaque diſtinguendæ ſunt feræ beſtiæ a manſuetis, & manſuefactis. Illæ ſunt, quæ vagantur libere, ideſt gaudent naturali libertate, puta cervos, lepores; iſtæ quæ domi cicuratæ fuerunt, quales ſæpiſſime pavones, apes; manſuetæ vero, quæ dicuntur domeſticæ, uti gallinæ, anſeres. Ferarum igitur occupatio eſt, quia nullius ſunt. Verum fac perculſam a te lethali vulnere feram, quam inſequendo certo apprehenderes. Poteſtne ab alio impune capi? Minime id quidem: jam enim vulnerantis cenſetur (*f*). At erat leviter

(*a*) Inſtit. h. t. (*b*) Lib. 1. & 5. D. *pro derelict.* (*c*) D. Thom. q. 66. a. 2. V. etiam Suarez cap. 14. (*d*) 3. de Off. (*e*) V. Suar. 2. de leg. (*f*) Ita ex leg. Molin.

viter perculſa, & facile venatorem effugiſſet. Capientis erit: nondum enim amiſerat naturalem libertatem. Sed de tota hac re conſulendus Molina.

§. 4. Venationem excipit inventio, qua comparatur dominium eorum, & quæ nullius ſunt, puta margaritas, lapillos in fundo maris, & quæ habentur pro derelictis, theſaurorum imprimis. Eſt vero theſaurus *vetus depoſitio pecuniæ* (ſive rei cujuſdam pretioſæ) *cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat* (*a*). Verum circa theſauros peculiaria populorum ſtatuta perſpicienda ſunt (*b*). At circa bona, quorum dominus ignoratur, magna contentio eſt. Nolim tamen incerta eadem putes, atque vacantia, vel deperdita, vel derelicta. Labuntur hic interdum vel homines docti: id quod adnotavit Tamburinus (*c*). Quare derelicta ſunt ea, quæ dominus abjecit, ut inter ſua computari nolit: Vacantia vero, quæ quiſpiam reliquit decedens inteſtatus, & carens hærede neceſſario: deperdita, quæ ut amiſſa fuerint, ſive forte fortuna, ſive ſalutis cauſa in naufragio expulſa, non tamen habentur in derelictis: nam proprietas retinetur. Rurſus incertorum triplex genus eſt. Alia incerta ex contractu, alia ex delicto, alia ex fortuita inventione. Priori genere continentur, ſi quæ habeas ex emptione, mutuo, aliove contractu; neſcias autem a quo habueris: in altero genere ea continentur, quæ injuſte adquiſieris, dominus autem ignotus ſit: in tertio denique, quæ fortuito reperta ſunt, quorum dominus, ne diligenter quidem quæſitus, inveniri potuit.

§. 5. Sed

(*a*) L. *nunquam* D. de acq. rer. dom. (*b*) V. D. Th. loc. cit. a. 5. (*c*) Lib. 8. Decal. tract. 4.

§. 5. Sed triplex eſſe poteſt incertitudo. Interdum enim res certo ſpectat ad hunc, vel alium, ſed neſcias, ad quem potius præ alio; interdum ad plures e communitate, qui tamen dignoſci nequeunt; interdum vero ea incertitudo eſt, ut dominus omnino lateat. Atque in priori eventu præſcribit ratio, ut res dividatur, prout cuique illorum favet juris probabilitas. In altero quandoquidem non ignoratur, hanc viciniam, hanc urbem, hunc populum læſum fuiſſe, his reſtituenda res erit, ut dividatur ſingulis pro ratione damni. Quare ſi Mercator ad ſe venientes defraudaverit in pretio, menſurave, curandum eſt, ut vendat deinceps minori pretio, vel menſura ampliori. Demum in poſteriori eventu, ſi bona fuerint incerta ex delicto, pauperibus, piiſve locis diſtribuenda ſunt: id quod de uſuris ſtatuit Alex. III. (*a*).

§. 6. Verum quid de incertis ex fortuita inventione? Plurimi, quibus præluxit D. Thomas (*b*), volunt ex præſumpta domini voluntate eroganda ea eſſe in pios uſus. Dominicus Sotus (*c*), cui plures aſſenſi ſunt, ob rationes non admodum contemnendas exiſtimat poſſe inventorem adjudicare ſibi. Alii vero, & fortaſſe rectius cum Lugone (*d*), & La-Croix (*e*) ex doctrina D. Thomæ, ſi res ita ſe habeat, ut ſpes ſit a domino recuperandam, retinendam dicunt; modo conſervari poſſit, ut detecto domino reddatur; ſi conſervari nequeat, alienandam, ſervandumque pretium domino reſtituendum, quandoque appareat. Hactenus D. Thomas expreſſus eſt (*f*). Addit de-Lugo, ſi neque iſtud fieri queat, expendendam in

(*a*) Cap. *Cum tu*. [*b*] Q. 62. a. 5. (*c*) De juſtit. lib. 5. (*d*) Num. 138. (*e*) Lib. 3. p. 2. T. 5. [*f*] Loc. cit.

in uſus pios. Conſule Catechiſmum Romanum (*a*). Concludit denique cum D. Thoma, *ſi pro derelictis habentur, & hoc credat inventor, licet ſibi eas retineat, non committit furtum*.

§. 7. Alterum occupationis genus Acceſſio eſt, nimirum *rei cujuſdam alteri noſtræ, vel quæ noſtra putatur, adjunctio*. Duplex diſtingui ſolet. Alia enim habetur naturæ beneficio, uti fætura, alluvio, vis fluminis, ſive coalitio, productio inſulæ, alvei mutatio: Alia habetur beneficio artis, & induſtriæ, quales ſunt confuſio, permixtio, inædificatio, implantatio, pictura, inſcriptio. Itaque quod ex ventre naſcitur ſub tuum dominium conſtituto, & quidquid ſive pedetentim, ac latenter, ſive vi aquarum ſubita adjicitur tuo fundo, tum inſula in flumine nata, ſed prædio tuo vicinior, alveus demum mutatus, in cujus vicinia fundos habes, ita hæc omnia rebus tuis accreſcunt beneficio naturæ, ut tua fiant (*b*). Eſt tamen quidquam, quod te admonitum velim. Nam ſi uſufructuarius es, tibi accreſcit incrementum latens, ideſt quod alluvione adjungitur; minime vero incrementum patens, ſive illud, quod adjicitur ſubita aquarum vi (*c*). Sin Emphyteuta es, utrumque incrementum accedit tibi. Quid vero ſi Feudatarius? Si quando incidat hujuſmodi controverſia, adeundos Juriſperitos, quos inter Molina, qui accuratiſſime rem tractat, prudenter monet Cuniliati (*d*). Et hæc de acceſſione naturali.

§. 8. Illa vero, quæ in arte induſtriave noſtra vel ſola, vel magnam partem poſita eſt, aut adjunctio erit, aut ſpecificatio, aut commixtio. In

D his

[*a*] Part. 3. cap. 8. [*b*] Inſtit. & D. h. tit. [*c*] L. *item ſi fundum* de uſufr. [*d*] §. 10.

his formula illa conſtituenda eſt, quæ habetur inter regulas juris: *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis* (*a*). Itaque dum aliena res adjicitur materiæ noſtræ, ſive id fiat per intexturam, ſive per incluſionem, ſive per inædificationem, aut implantationem, aut ſcripturam, picturamve, quidquid adjungitur, noſtrum eſt (*b*). Ex quibus efficitur, ut & purpura tuo veſtimento intexta, & gemma tuo annulo incluſa, tuæ ſint. Inſuper quidquid in tuo ſolo ædificatur, vel plantatur, vel ſeritur, ſi modo radices egerit, ſolo cedit. Denique de ſcriptura, & pictura, tametſi diſcrepantes videantur leges, ita conciliari poſſunt, ut quod excellentius ſit, viliori cedat. *Ridiculum enim eſt picturam Apellis, vel Parrhaſii in acceſſionem viliſſimæ tabulæ cedere*, ait Imperator (*c*). Sed quandoquidem clamant leges, neminem cum alterius jactura fieri debere ditiorem (*d*); idcirco domino gemmæ, ſive purpuræ datur contra te, ſi bona fide poſſideas, condictio ſine cauſa (*e*). Sin autem malæ fidei poſſeſſor ſis, datur actio furti, & condictio furtiva (*f*). Similiter qui ex propria materia in tuo ſolo ædificavit, poteſt repetere expenſarum pretium, ſaltem ſi fecerit bona fide (*g*). Qui vero ſcripſit in aliena charta, ſi quidem bona fide egit, ejuſdem pretium tenetur reſtituere, ſed nihil præterea; verum ſi mala fide, conveniri poteſt actione furti in duplum. In pictura illud amplius eſt, ut ſcilicet domino tabulæ detur actio utilis, modo picturæ impenſas ſolverit.

§. 9. In ſpecificatione, ſive quum materia acceſſio-

[*a*] 42. de Reg. J. in 6. [*b*] Inſt. de rer. diviſ. [*c*] §. *ſi quis* eod. tit. [*d*] D. de condict. indebiti. [*e*] Inſt. hoc tit. [*f*] Inſtit. hoc. tit. [*g*] V. Illſungh tom. 4.

ceſſione novæ formæ alteram quodammodo faciem induit, ea diſtinctione utimur: vel enim res in priorem maſſam reduci poteſt, vel reduci nequit. Et ſi quidem poſſit, uti vas argenteum in rudem maſſam, ejus erit qui materiæ dominus eſt; ſin autem, uti accidit in oleo, frumento, vino, ejus erit, qui fecerit. Atque hac ratione Imperator Proculum, & Sabinum conciliat, quorum ille volebat omnino, ut ſpecificationi cederet, iſte malebat, materiæ domino (*a*).

§. 10. Aliud demum acceſſionis per induſtriam factæ illud genus eſt, quod dicitur confuſio, ſive commixtio. Sed iſta aridorum eſt, ut dum frumentum unius permiſcetur cum alterius frumento; confuſio vero eſt liquidorum, uti dum permiſcetur unius vinum cum vino alterius. Horum ea regula generalis eſto, ut ſi permixta, ſive confuſa fuerint voluntate utriuſque, communis ſpecies ſit; ſi fortuito, in confuſis communis etiam ſit, in mixtis non ſit; ſi voluntate unius tantum, videndum, an bona, an mala fide: ſi mala, totum cedit illi, qui læſus eſt; ſi bona, ſed nulla nova ſpecies prodierit, communis utrique erit. Sed de pecunia numerata ita legibus cautum fuit, ut *ſi alieni nummi inſcio, vel invito domino ..... mixti eſſent, ita ut diſcerni non poſſint, ejus fiant qui accepit* (*b*). Tenetur tamen qui accepit obligatione illa perſonali, ut alteri refundat æquivalens. Ex quibus liquet, prudenter eos agere, qui nunquam alienam pecuniam commiſcent propriæ, quum noverint ad dominum ſpectare rei incommodum, ac periculum.

D 2 §. 11. Se-

[*a*] §. *Cum ex aliena re.* [*b*] L. 78. D. de ſolut.

§. 11. Sequitur occupationis poſtremum genus occupatio bellica. Neque enim adeo ſilent leges inter arma, ut non ſe exaudiri ſinant ab iis, quicumque ex legum præſcripto agere volunt, atque rite diſtinguere, quid jure, quidve injuria fiat. Legitima enimvero bellica occupatio erit eorum, quæ ab hoſtibus capiuntur, ſi modo res illæ ad noſtra præſidia perlatæ fuerint. At cui bono hujuſmodi occupatio? Certum eſt, quæ publico belli actu capta fuerint, cedere Reipublicæ; imo & fore peculatus reos milites ſtipendiarios, ſi quid ſibi retineant. Poteſt tamen Imperator mobilia quædam iis relinquere, qui juſtam deprædationem agentes ea ceperint. Sed de his ſatis. Adeat qui plura velit, e noſtris Victoria (*a*), Molina (*b*), Diana (*c*), ex aliis Grotium (*d*).

§. 12. Et hæc hactenus de titulo, qui originarius dicitur: dicendum modo eſt de titulo derivativo, eodemque ſingulari, ſcilicet traditione. At ſola nudaque traditio ſatis per ſe non eſt ad transferendum dominium; ut propterea Juriſperiti alios dicant titulos, alios modos adquirendi dominii. Et titulos quidem vocant eas cauſas, quæ ut habiles ſint ad dominium transferendum, ſed nondum transferunt, puta pro ſoluto, pro empto, pro tranſacto, pro derelicto; modos autem eas, quæ dominium immediate conſtituunt, qualis traditio eſt. Ab hac enim incipere quodcumque jus in re iidem putant, ſi paucula excipias, uti res judicio duplici adjudicatæ, ſervitutes negativæ, adquiſita per ultimam voluntatem, quæ conferuntur Eccleſiis, vel locis piis, & ſiqua ſunt alia, pauca tamen numero (*e*). Cætera

(*a*) De jure belli. (*b*) Diſp. 122. (*c*) P. 6. tract. 4. (*d*) De jure belli & pacis. (*e*) V. Pichler lib. 2. tit. 12.

tera vero omnia adeo traditione indigent, ut tametſi conventio perfecta fuerit, dominium tamen minime transferatur. Verum traditio ipſa, niſi cauſa habili munita fuerit, nihil efficiet. Multiplices vero ſunt cauſæ ad transferendum dominium habiles, quos titulos civiles dicimus: & ii quidem ſunt vel univerſales, nimirum quibus univerſum jus alterius in nos transfertur; vel ſingulares, ideſt quibus rei ſingularis dominium adquirimus. Prioribus adnumerantur hæreditatis adquiſitio, bonorum poſſeſſio, adrogatio; poſterioribus vero uſucapio; donatio, legatum, & cæteræ omnes privatæ conventiones, ſive ultro citroque obligantes ſint, ſive gratuitæ, ſaltem ſecuta traditione. Sed hæc pleraque differo, atque in proximam, atque ſubſequentem alteram diſſertationem omitto. Nunc de præſcriptione, qua jure & Canonico, & Civili dominium adquiritur, dicendum eſt.

§. 13. Jure Civili antiquiſſimo duodecim tabularum Uſucapio introducta eſt. Sed quæ ſolos ſpectabat olim Romanos cives; & tribuebat dumtaxat dominium Quiritarium, poſt communicatam aliis civitatem univerſalior effecta, modus deinceps omnibus communis fuit comparandi dominii. Eſt enimvero uſucapio *adjectio, ſive adeptio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti* (*a*). Porro ex hac dominii adeptione illa orta eſt exceptio peremptoria, quæ præſcriptio dicitur, & quam definivit Covarruvias *exceptio ex tempore legibus definito ſubſtantiam capiens* (*b*). Nam qui longiſſima poſſeſſione dominium adquiſivit, poteſt exceptione præſcriptionis eum repellere, quicumque rem uſucaptam repetere, & priſtinum domi-

 nium

(*a*) L. 3. D. h. tit. (*b*) In reg. *Poſſeſſor*.

nium objicere velit. Atque ita de uſucapione, & præſcriptione loquuntur ii, qui rem iſtam ſubtilius diſtinguunt. Nos hic utrumque conjungimus, & adeptionem dominii, atque inde natam exceptionem tam præſcriptionis, quam uſucapionis nomine intellectam volumus.

§. 14. Itaque præſcriptione transfertur dominium de jure civili. Cum enim multum Reipublicæ intereſt, ne *dominia incerta ſint* (*a*), & ne rerum poſſeſſores *immortali prope timore teneantur* (*b*), tum vero maxime ut litibus modus ac finis ſit (*c*), atque excitetur hominum ſegnities (*d*), ne jus ſuum in judicio perſequi negligant, puniendi, ſi deſides fuerint, ademptione dominii. Et hic ego rogarem eos, ſiqui ſunt, qui Grotio ſubſcribentes præſcriptionem repetunt a jure naturæ, quibus id argumentis probent? Repeti ait nonnemo a jure naturæ, quia bonorum diviſio jure naturæ introducta eſt, atque ea de cauſa introducta, ut ſervaretur tranquillitas humanæ Reipublicæ. Audio: verum ſiquid video, hoc ſolum probat, quemadmodum jus naturæ non repugnat rerum diviſioni, ita nec præſcriptioni repugnare. Quiſnam iſtud neget? Sed alia res agitur. Quæro enim ex te de lege conſtituente dominium, non de permittente. Aliis verbis ex D. Thoma (*e*) quæro de lege poſitiva, non de negativa. Neque enim quidquid Reipublicæ quieti inſervire poteſt, jus naturæ eſt. Certe, inquit, in dubiis ſectandum eſſe quod eſt tutius, dictat jus naturæ. Permitto iſta. Quid vero tum? Enimvero, pergit, dum cætera jura

(*a*) L. 1. de uſucap. (*b*) L. *Cum notiſſimi* de Præſcript. (*c*) L. ult. D. *pro ſuo*. (*d*) L. 2. cod. de ann. except. (*e*) V. ſuper.

jura ambigua ſunt, ſecurius eſt poſſeſſorem non privari fundi poſſeſſione. Minime id negaverim, qui non ignorem Regulam juris (*a*). *In pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis*. Sed quænam mihi narras ambigua jura? Putaſne præſcriptionem ſola præſumptione inniti? Si res ita ſe haberet, res poſt longiſſimum tempus uſucapta reſtituenda foret priſtino domino, qui clariſſimis documentis rem ſuam fuiſſe oſtenderet. Verum conſecutionem iſtam negant Theologi, & Juriſperiti cum D. Thoma (*b*). Cur negent, in cauſa eſt vis ipſa uſucapionis, qua ita a lege civili transfertur dominium, ut res non ſit amplius aliena. Itaque a jure præſumi conſenſiſſe in translationem dominii eum, qui rem ſuam non perſequitur, id ego non ſolum confiteor, ſed etiam profiteor. Aperta enim eſt lex *Alienationis* (*c*). Sed non ſola hæc præſumptio cauſa legum fuit. Gravioribus aliis, iiſque univerſalioribus leges iſtæ originem debent. Conſule ſuperiora. Quæ quidem cauſæ id efficiunt, ut priſtinus dominus omne jus, omnem etiam actionem amiſerit (*d*).

§. 15. Omnino legitima præſcriptio conſurgit ex rebus quinque. Namque primum opus eſt poſſeſſione, & quidem non interrupta; deinde bona fide, cum theologice bona, ſive quæ excludat peccatum, tum etiam bona civiliter, ideſt quæ a jure non reprobetur, quia ſi lex uſucapionem inhibet, bona fides uſucapienti nihil prodeſt, uti recte Pomponius (*e*) apud Sporer (*f*); tertio opus eſt

(*a*) Reg. 95. de Reg. Jur. in 6. (*b*) 2. 2. a. 1. & 2. (*c*) 28. D. de verb. ſignif. (*d*) L. *Si quis* Cod. de Præſcript. V. Covarr. loc. cit. (*e*) In l. 24. de Uſucap. (*f*) Tract. 6. in Decalog. de Præſcript.

titulo juſto, ſive habili ad transferendum dominium, vel colorato, vel exiſtimato, interdum etiam præſumpto; præterea tempore legitimo; demum opus eſt, ut res ſit apta præſcribi, quum plurima ſint, quæ uſucapi nequeunt.

§. 16. Atque ut a priori incipiam, notiſſima illa lex eſt: *Sine poſſeſſione uſucapio contingere non poteſt* (*a*). Quare poſſeſſio ita dicta a ſedium poſitione, quia ſedes ponebatur in re apprehendenda, uti notat Gloſſa (*b*), definitur communiter *Apprehenſio, ſive detentio rei corporalis vera, vel ficta corporis, animi, juriſque adminiculo*. Confer Covarr. (*c*), Azor (*d*), Molinam (*e*). Dicitur autem vera, vel ficta: quia tametſi in pleriſque vera detentione opus ſit; qualis fieri ſolet manu in mobilibus; pede in immobilibus; attamen interdum ſatis eſt actus quidam, quo per fictionem juris cenſetur res occupari, ſive apprehendi. Hoc cernere eſt, dum per Judicis auctoritatem ſolo rei aſpectu mittitur quiſquam in poſſeſſionem rei. Sed de apprehenſionibus fictis diverſi generis plura Molina (*f*).

§. 17. At præter rei detentionem ille etiam animus requiritur, quo quiſquam velit rem ut ſuam habere: qui quidem animus ſi habuerit ſibi faventem legem, ideſt quæ non ita poſſeſſioni reſiſtat, ut invalidam reddat in foro externo, ſatis eſt ad poſſeſſionem juridicam; quamvis interdum poſſeſſor injuſtus ſit, dum res ab eodem inique, ac mala fide poſſidetur. Ex quibus illud conſequitur plurimum intereſſe, quo quiſque nomine poſſideat. Hinc

(*a*) 25. D. de Uſucap. (*b*) L. 1. D. de acquir. poſſeſs. V. Azor. 3. Inſtit. lib. 1. (*c*) Loc. cit. (*d*) P. 3. Inſt. Moral. lib. 1. (*e*) Tract. 2. diſp. 12. (*f*) Loc. cit. diſp. ſeq.

Hinc procurator, tutor, filiusfamilias, qui rem poſſident non ſuo, ſed alieno nomine, non ſibi præſcribere poſſunt, ſed dominis, pupillis, parentibus. Neque enim eo animo poſſident, quo velint rem ut ſuam habere. Atqui indubitati juris eſt, *eum poſſidere, cujus nomine poſſidetur* (*a*). Sed diſtinguenda duplex poſſeſſio eſt, alia civilis, quæ animi poſſeſſio dicitur, alia naturalis, ſive corporalis. Civilis a naturali ſejuncta ea eſt, qua res ſolo animo detinetur. Etenim ſiquis, te abſente, ædes tuas invaderet atque occuparet, tu niſi recuperandi animum depoſueris, poſſides civiliter; invaſor autem poſſidet naturaliter. Siquidem naturalis poſſeſſio a civili disjuncta eſt occupatio rei, in cujus civili poſſeſſione alius eſt. Perfectiſſimum autem poſſeſſionis genus erit, ſi utraque conjungatur, & civilis, & naturalis. Quot vero modis amittatur poſſeſſio, dabit Anacletus (*b*): multa enim nobis incidenda ſunt, ne nimis ſero ad extrema veniamus. Poſſeſſionis commoda plura Auctores enumerant: ſed illud modo e re noſtra eſt, ut poſſeſſio legitime continuata, modo cætera non deſint, uſucapiendi conditionem tribuat. Quanto autem tempore eamdem continuari oporteat, inferius dicam.

§. 18. Alterum, quod ad præſcriptionem requiritur, & quidem maxime, bona fides eſt, nimirum ut *qui præſcribit, conſcientiam non habeat rei alienæ*. Verum opuſne erit bona fide non modo ſub initium poſſeſſionis, ſed etiam toto deinceps tempore, donec præſcriptio compleatur? Satis illa ſub initium fuerit de jure civili. Verum interceſſit

(*a*) L. *quod meo* D. de adq. poſſeſs. Cap. *Litiganti* 17. h. tit. (*b*) In 2. Decr. lib. 12.

ceſſit Innoc. III. in Concil. Lateranenſ. (*a*), & *quoniam quod non eſt ex fide, ideſt ex conſcientia, peccatum eſt*, ne peccata foverentur, atque ut occurreretur animarum periculis, abrogandum in hac parte jus civile duxit, ſtatuitque oportere, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte (nimirum præſcriptionis currentis) rei alienæ conſcientiam habeat. Hinc *malæ fidei poſſeſſor*, dum talis eſt, *nullo unquam tempore præſcribit*, id quod habet Regula juris (*b*). Nihilne ergo juvare poteſt longiſſimum tempus? nihil omnino, ſi defuerit bona fides. Faciet quidem, ut gravius pecces; verum ut præſcribas, hoc certe non faciet. Quid vero ſi dubitare incipiam, ſitne res mea, an aliena? Dico non poſſe te cum dubio practico inchoare præſcriptionem. At dubium ſupervenit præſcriptione jam cæpta. Danda eſt opera diligenter, ut de veritate certior fias. Quod ſi poſt adhibitam diligentiam adhuc incertus animi ſis, poteris præſcriptionem continuare, eamque perficere; quum *in pari dubio conditio poſſidentis melior ſit*; propterea quod eidem faveat præſumptio. Atque ita Doctores paſſim (*c*).

§. 19. Non deſunt tamen, qui hanc doctrinam explodant, ſaltem oppoſitam probabiliorem dicant, niſi dubium prudenter deponi queat. Ego vero quum videam, dubium ſuperveniens prudentiſſime deponi poſſe, quantum ad bonam fidem opus eſt, ex ipſa adverſariorum cautione illud colligo, uſucapionem perfici de ipſorum etiam ſententia. Nonne ſatis prudenter deponit dubium, qui conſcientiam efformat juxta regulas juris, & quidem Canoni-

(*a*) Cap. *quoniam* 20. h. tit. (*b*) 2. de reg. jur. in 6.
(*c*) V. Lugonem diſp. 7. ſect. 3.

Digitized by Google

nonici? Eſt autem regula (*a*), quæ conceptis verbis in pari dubio meliorem docet conditionem poſſidentis. Videſis etiam cap. *Ad aures* (*b*). Quem vero præſcriptione cæpta dubitatio inceſſit, poſſeſſor eſt; neque enim præſcribere cæpiſſet, niſi poſſediſſet. Quum ergo melior ipſius conditio ſit, cur eum ego pariter, ac Sotus (*c*), damnem, ut reſtituat pro rata? At Sotus, inquis, tunc eum damnat, quum dubium deponi nequit. Novimus: ſed quum prudenter ad juris normam ſemper deponi queat, poterat Sotus cautionem illam negligere, & communi aliorum cum Abb. Covarr. opinioni adhærere. Quod ſiquis ita diſputanti, & communiorem Theologorum, & Juriſperitorum ſententiam tuenti canonem mihi objecerit Innoc. III. ex cap. *Inquiſitionem* (*d*), nihil certe aliud reponam, quam duo iſthæc. Primum legum antinomiam vitandam eſſe, ac proinde tentandam quoque eſſe ab adverſariis viam, qua Innocentianus Canon cum Canonica juris regula conciliari poſſit. Deinde nullam mihi conciliandi rationem potiorem videri, quam ſi dicamus, aliud Canones ſancire in materia juſtitiæ, dum quiſquam poſſidet, aliud in aliis. Nos enimvero in argumento verſamur, quod totum ſpectat ad juſtitiam, & ad poſſeſſionis indolem.

§. 20. Rogabit hic quiſpiam, an quæ de dubio diximus, de ignorantia etiam intelligenda ſit? Sed de qua tandem ignorantia quæris? Eſt enim ignorantia invincibilis, eſt & vincibilis; atque iſta iterum eſt interdum craſſa, ſive affectata, quam Doctores parem ſcientiæ æſtimant, vel etiam dolo,

Inſu-

(*a*) 65. in 6. (*b*) De præſcript. (*c*) 4. de Juſt. q. 5. (*d*) De ſent. excommunic.

Inſuper alia eſt ignorantia facti, alia juris. Itaque ſi quis laborat ignorantia craſſa atque affectata, perinde eſt, ac ſi haberet ſcientiam rei alienæ. Conſequens ergo eſt, ut bona fide deſtituatur. Viſne ignorantiam eſſe invincibilem? Diſtinctione iterum opus eſt. Si fuerit ignorantia facti, aut juris non explorati, ſed controverſi, ea non excludit bonam fidem; ſin autem fuerit juris indubitati expeditique, impedit bonam fidem in utroque foro. In hac ſententia ſunt Covarr. (*a*) Molin. (*b*), Leſſius, alii; ob eam, credo, cauſam, quia id videtur legibus conſtitutum ac definitum. Sic enim habent: *Juris ignorantiam in uſucapione negatur prodeſſe* (*c*): *ſi enim ſcias pupillum eſſe, putes tamen pupillis licere res ſuas ſine tutoris auctoritate adminiſtrare, non capies uſum; quia juris error nulli prodeſt* (*d*). Diligenter hoc obſervatum eſt a viris doctiſſimis. Sed cavendum, ne *ſummum jus ſumma injuria*. Quare æquitas videtur poſtulare, ut toleretur juris ignorantia in militibus, ætate minoribus, atque interdum etiam in ruſticis. Vide Haulnoldum (*e*). Nec tamen propterea aſſentimur ſive Gloſſatori (*f*), ſive Parnomitano (*g*), dum ſcribunt, eum qui dubitat, etiamſi juſtam habeat dubitandi cauſam, eſſe in bona fide, idque probari cum ex lege *qui ſcit* (*h*), tum ex cap. *Si virgo* (*i*). Sed nihil hac opinione abſurdius. In eam vero adductus Parnomitanus fuit ex principio illo, quod inconcuſſum putat: *Qui dubitat, ignorat*. At diſtinguere debuiſſet duplex ignorantiæ genus:

(*a*) Loc. cit. part. 2. (*b*) Diſp. 64. (*c*) 31. D. de Uſucap. (*d*) *Si a pupillo* D. pro Empt. (*e*) Tom. 1. tract. 5. (*f*) Cap. finali de Præſcript. (*g*) Ibid. (*h*) D. de Uſuris. (*i*) 34. q. unic.

genus: namque interdum ita ignoramus, ut non modo certa rei cognitio, ſed ſuſpicio etiam, ac conjectura probabilis excludatur. Interdum vero ita ignoramus, ut locus tamen ſit conjecturæ probabili. Itaque qui dubitat, laborat tantum ignorantia iſta poſterioris generis. Verum licetne propterea colligere: Ergo eſt in bona fide? Imo dubitatio ipſa, quippe quæ excludit judicium practicum de honeſtate, argumento nobis eſt fidei non bonæ. Sed Panormitano venia danda eſt, quia, ut ait Adrianus (*a*), erat ignarus Dialecticæ; modo idipſum non ſit vitioſum, Dialecticam neſciri a Juriſperito.

§. 21. Cæterum mala fides adeo adverſa eſt præſcriptionis indoli, ut non modo impediat, quominus poſſeſſor uſucapiat, ſed noceat etiam ejuſdem hæredi immediato (*b*), qui quum defuncti perſonam gerat, fictione juris eamdem, atque præceſſor, cenſetur habere fidem non bonam (*c*). Non ſic hæres hæredis ex ſententia plurium, quos dabit La-Croixius (*d*): quia, inquiunt, fictio non parit fictionem. Lugo tamen iis non acquieſcit, & ſaltem ex ea parte quæ reſpicit damna illata per malam fidem, putat mediatum hæredem teneri ad eorum compenſationem, atque adeſſe ibi fictionem duplicem, quarum alia aliam conſequitur. Quod quidem non videtur a vero abludere. Poteſt tamen ſucceſſor, qui tandem cumque ille fuerit, præſumptione illa uti, ut credat præceſſores fuiſſe in bona fide, cum ex illa juris norma: *Quum quis in jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ*

(*a*) In 4. q. de Præſcript. (*b*) L. *Communia* Cod. h. tit. (*c*) V. Pirringh h. tit. (*d*) De Reſtitut. num. 490.

tiæ cauſam cenſetur habere (*a*); tum ex recepta illa: *Delicta non præſumuntur*. Secus ſi noverit malam fidem; præſumptio enim veritati cedat neceſſe eſt (*b*).

§. 22. Sed bona fides abſque titulo quodam vix eſſe, ac ne vix quidem poteſt. Qui enim fiat, ut credas poſſe te jure poſſidere, niſi ſimul credideris adeſſe cauſam aliquam, quare rem, uti tuam, habere queas? Omnino autem titulus debet eſſe aptus per ſe ad transferendum dominium. Tales habentur pro empto, pro donato, pro hærede, pro ſoluto, pro derelicto, pro dote, pro ſuo, & aliis id genus. At tituli alii pro depoſito, pro conducto, pro commodato quum ad transferendum dominium habiles non ſint, neque ad præſcribendum apti ſunt. Non tamen propterea opus eſt, ut titulus ille per ſe aptus exiſtat re quidem vera; alioquin locus non eſſet præſcriptionis beneficio. Quid enim præſcriptione opus eſt, ut rem ex. c. habeas ex titulo pro legato, quam certo noveris tibi legatam eſſe? Illud requiritur, ut prudenter exiſtimes adeſſe titulum. Hoc autem accidit tripliciter. Nam primum ſi habeas ex donatione facta a non domino, qui tamen putabatur dominus, erit titulus apparens, ſive coloratus; deinde ſi tibi res quædam detur, quaſi debita, quum debita non ſit, erit titulus exiſtimatus; tertio demum ſi jus præſumat interveniſſe titulum, quum forte non intervenerit, titulus præſumptus erit, qui conditionem uſucapiendi interdum præbet (*c*); maxime vero dum res poſſidetur tempore immemoriali, ſive cujus memoria non extat,

&

(*a*) Reg. 14. de Reg. Jur. in 6. (*b*) V. Maſcardum de Probat. concl. 1371. [*c*] Cap. *Ad aures* de præſcript.

& contra quam nihil unquam actum, viſum, vel auditum fuit (*a*). Vide Covarr. (*b*), & Harprecht (*c*). Verum titulus a jure præſumptus locum dumtaxat habet in tempore longiſſimo; in breviori autem, ſive ordinario titulus non præſumitur, ſed probandus eſt (*d*).

§. 23. Ex quinque ergo, quæ ad uſucapionem pertinent, quartum iſtud eſt, ut obſervetur tempus a lege definitum. Sed quum doctrina de tempore ad præſcribendum apto ab alia de rebus, quæ longiori, aut breviori tempore præſcribuntur, minime divelli poſſit, de utroque ſimul eodem ſermonis contextu dicendum eſt. Itaque res mobiles privatorum cum titulo præſcribuntur triennio; res vero immobiles decennio inter præſentes, vicennio inter abſentes (*e*). Porro ii habentur præſentes, qui in eadem civitate, vel, ut ajunt, territorio ſunt; abſentes vero qui in diverſis. Iterum res privatorum cum mobiles, tum immobiles etiam abſque titulo præſcribuntur tricennio (*f*). Verum quid ſi res immobiles Eccleſiæ fuerint? Si Eccleſiæ Romanæ, opus eſt centenario (*g*): ſi Eccleſiarum inferiorum, locorumve piorum; ſatis eſt quadragenario. De mobilibus inferiorum Eccleſiarum idem jus eſto, ac de privatorum bonis juxta Molinæ, aliorumque ſententiam, aliis contra nitentibus. Controverſia in eo vertitur, an Authentica *quas actiones* (*h*) inſerta per Gratianum juri Canonico recepta ſit, nec ne. Nobis tanti otii non eſt, ut in hac erudita quæſtione diſcutienda lon-

[*a*] D. *Hoc jure* de aqua quotid. [*b*] Loc. cit. [*c*] Inſt. de Uſucap. [*d*] Inſt. eod. tit. [*e*] Inſt. eod. tit. [*f*] Cap. *Sanctorum* h. tit. [*g*] Cap. *Ad audientiam*. [*h*] Cod. *de Sacroſanct. Eccl.*

longius immoremur. Ajentium partes docte tuetur Anacletus (*a*), vocans hanc opinionem & communiorem, & veriorem. Eamdem quæſtionem ex profeſſo exagitant Covarr. (*b*), Leſſius (*c*). Unum non prætermittam, quædam eſſe ſive Monaſteria, ſive Collegia, quorum immobilia nonniſi ſexaginta annorum ſpatio præſcribi poſſunt. Hoc privilegio donatus eſt ab Eugenio IV. Ordo S. Benedicti, teſte Ludovico Habert (*d*). Quidnam vero juris ſit, ſi ille, contra quem præſcribitur, partim præſens, partim abſens fuerit, docebit Molina (*e*). De bonis autem Clericorum idem, atque de Laicorum bonis dicendum eſſe ſententia communis eſt, teſte Barboſa (*f*), & La-Croix (*g*).

§. 24. At quandoquidem ſæpe evenit, ut poſſeſſionis tempus, quodcumque illud ſit, quod requiritur ad præſcribendum, interrumpatur; jam illud amplius videndum, quænam interruptioni vis ſit, ſive ad ſiſtendam, ſive ad tollendam uſucapionem. Hæc enimvero interdum quieſcit ſolum, interdum etiam extinguitur. Quieſcit quidem, dum, adveniente impedimento, ita ſuſpenſa manet, ut tamen eodem ſublato currat iterum, & compleatur, computato utroque tempore & præcedente, & ſubſequente. Eadem autem omnino ceſſat, quum interpoſito impedimento ita extinguitur, ut totum præcedens tempus non computetur amplius, ſed nova omnino præſcriptio inchoanda ſit. Præſcriptio igitur quieſcit tempore hoſtilitatis, & graſſantis peſtis; tum ſi fuerit contra Eccleſiam, hæc autem Paſtore ſuo viduata ſit; præterea ſi eſt contra pupillum, quieſcit tota ætate pupillari; demum

[*a*] Num. 171. (*b*) Loc. cit. (*c*) Lib. 2. (*d*) Quæſt. 13. (*e*) Diſp. 69. (*f*) In Cap. *Sanctorum*. (*g*) Num. 535.

mum ſiquis jure impediatur, contra eum præſcriptio non currit. Sed dupliciter ea interrumpi poteſt, vel naturaliter, vel civiliter. Et naturaliter quidem; ſi quidquam deſit ex iis, ſine quibus præſcriptio nequit conſiſtere, puta bonam fidem; civiliter autem, ſi poſſidens interpelletur actione aliqua, qua ex legum diſpoſitione interruptio inducta eſt.

§. 25. Quoniam vero ſermo incidit de ætate pupillari, res ipſa me monet, ut controverſiam attingam nec inutilem, neque injucundam. Illud enim quæritur, an ullus præſcriptioni locus ſit circa Miſſarum onera? Ait Paſqualigus (*a*), & in eadem ſententia ſunt Gobat (*b*), Tambur. (*c*), Thom. Hurtadus (*d*). Verum intercedit Felix Poteſtas, qui argumento utitur novo, ſed acuto, ſed gravi (*e*). Quid enim? inquit. An contra ætatem pupillarem præſcribi poteſt? Reclamant jura, negant Auctores omnes. At nemo unus negaverit, quæ igne purgantur, animas inſtar pupillarum eſſe. Clamare, petere ſuffragia poſſunt, ſibi per ſe ipſas ſubvenire non poſſunt. Ut ergo tutoris negligentia pupilli rebus nocere nequit, ita neque hæredum deſidia vitæ functorum animis; præſertim quum uſucapio præter alias cauſas introducta etiam fuerit ad excitandam hominum ſocordiam. Atqui nulla animarum poteſt eſſe ſegnities, quæ amicos, quando aliter nequeunt, clamoribus excitant, & ut ſui eos miſereat, efflagitant, obſecrant, obteſtantur. Atque ita quidem Poteſtas orat animarum cauſam, quam etiam noviſſime

E tue-

(*a*) Pag. 1192. (*b*) Exper. tract. 3. (*c*) Method. celebr. lib. 3. cap. 7. (*d*) De Reſid. lib. 6. (*e*) Tom. 1. p. 2.

tuetur Cuniliati (*a*). Animarum patrocinium nos etiam volentes ſuſcipimus, qui videamus propoſito argumento nihil ſatis commode reſponderi poſſe.

§. 26. Sed præter ea, quæ pupillos ſpectant, multa alia ſunt, quæ præſcribi nequeunt. Ac primum quidem homo liber præſcriptioni non eſt obnoxius (*b*). Similiter præſcribi non poſſunt res omnibus communes, puta vias publicas (*c*); nec res dotales effectæ, niſi jam antea præſcribi cæpiſſent (*d*); nec res indiviſim communes pluribus ſociis; nec limites Diœceſeon, & Paræciarum (*e*), ſi modo termini legitima auctoritate conſtituti fuerint; nec res meræ facultatis, ut ſiquis certam officinam jam inde a multo tempore frequentarit, non tamen idcirco vi præſcriptionis cogendus ſit, ut ad eamdem redeat. Addere juvat ex Conſtitutione Benedicti XIV. (*f*) præſcriptionem nullam omnino induci poſſe contra jus divinum, contra jus vero Eccleſiaſticum commune fere nullam.

§. 27. Iis vero detractis, & aliis non admodum multis, quæ cuivis obvia ſunt, cætera omnia præſcribi poſſunt, & res, & jura, & actiones, & obligationes. Hoc tamen intereſt, quod actiones reales præſcribuntur eodem tempore, quo jura realia, in quibus fundatæ ſunt; actiones autem perſonales dupliciter ſe habent. Namque aliæ ſunt ad præſtandum quidpiam, vel non præſtandum, aliæ ad onus ſubeundum. Poſteriores iſtæ extinguuntur ob ſolam negligentiam ſive actoris, ſive exactoris. Id cernere eſt in actionibus pœnalibus, & criminalibus. Siquis enim ex. c. ob vectigal non ſolutum inci-

[*a*] Num. 5. [*b*] Inſt. h. tit. [*c*] L. *Uſucap.* D. h. tit. [*d*] L. *Si fundum* D. de fundo dotali. [*e*] Cap. *Dilectio* 7. cauſ. 16. [*f*] *Declaraſti*.

incideret in pœnam commiſſi, fiſcus vero ſine litis conteſtatione quinquennium elabi ſineret, rem ſibi ultra vindicare non poſſet. Doctrina Molinæ (*a*) eſt, quam multis diſcutit Parnomitanus (*b*). De actione autem pœnali contra furem, tum de actione injuriarum, aliiſque prætoriis ſatis conſtat eas extingui anni ſpatio, ſi toto hoc tempore intentatæ non fuerint (*c*).

§. 28. Quidnam vero de actionibus illis prioribus? Poteritne qui ex mutuo, empto, aliave pactione debitor eſt, ob exactoris vel ſilentium, vel negligentiam ita præſcribere, ut elapſo tempore ſaltem longiori, ſolvere non teneatur? Fac enim Sempronium mutuas accepiſſe pecunias a Titio, qui non repetito debito obiit poſt triginta annos. Hujus hæredes Sempronium, qui ſe debitorem eſſe pulchre meminit, appellant, monent, ut reſtituat. Poteritne Sempronius beneficio præſcriptionis excipere contra hæredes? Hanc ipſi exceptionem negant communi fere calculo Theologi. Sunt autem qui concedendam putent Viri Juris peritiſſimi, Hoſtienſis, Schmier, Pichler, quorum ſententiam gravibus momentis innixam docet Edmundus Voit. Equidem præſcribi poſſe libertatem a ſolvendo debito, quod invincibiliter ignoratur, facile dabit De-Lugo (*d*), cui aſſentitur La-Croixius (*e*), nec valde repugnat Ligorius (*f*). Verum Sempronius ſe hactenus debitorem agnovit. Quid ergo? De communi Theologorum, & Juriſperitorum ſententia apud Pirringh (*g*) ad ſolvendum Sempronius damnandus eſt. Novit ſe hactenus debitorem:

E 2 con-

[*a*] Tom. 1. tract. 2. [*b*] In cap. ult. h. tit. [*c*] Inſt. de perpet. & temp. act. [*d*] Diſp. 7. [*e*] Num. 493. [*f*] Num. 513. [*g*] Num. 51.

conſequens ergo eſt, ut ruat bona fides. Hæc autem ruere non poteſt, ut tota præſcriptio non eodem labefactata motu concidat. Nec plura: Juriſperitos audiamus.

§. 29. Inter hos Pichler non adeo arcte tuetur præſcriptionem, ut eam admittat in quolibet debito; ſed ſolum in debito indefinite contracto, & cujus ſolutio nec a jure, neque a creditore exigatur intra triginta annos. De reliquo ſi creditore exigente, aut ſaltem interpellante pro ipſo vel jure, vel die (jus enim, & dies interpellant pro homine (*a*)), debitor non ſolvat; fatetur ipſemet hunc non poſſe præſcribere, quia quum ſit in mora culpabili, in bona fide eſſe non poteſt (*b*).

§. 30. Aſt ego totum iſtud ad vivum reſeco, & circa debitum etiam hiſce conditionibus munitum præſcriptionem nego. Quid enim ait Pichler? Qui novit jus alienum, ſed a nemine interpellatur, non continuo agit contra jus alterius, ſi non ſolvit. Quum ergo nihil agatur injuſte, mala fides eſſe non poteſt. At non hoc quæritur, agatne contra jus alterius non ſolvendo: novimus, ſolutionem differre eum poſſe, donec exigatur. Illud quæritur, an quia debitum non exigitur, poſſideat libertatem a debito? Hoc negamus. Nam tametſi creditor non interpellet, Sempronius cognoſcit ſe debitorem indefinite, cognoſcit ſe a creditore interpellari poſſe. Itaque aliud eſt, quod ſolutionem debitor differre queat, donec exigatur; aliud, quod ſe cognoſcat non debitorem. Pugnant iſta ex adverſo. Etenim ſi novit poſſe ſolutionem differri, ad ſolutionem quamdam teneri ſe novit, tametſi ea ſit, quæ differri queat. Eſt ergo ali-

quis

(*a*) Cap. Finali *de locato*. (*b*) In h. tit.

quis qui debeat. Et poterit idem ipſe eodem tempore & debitorem ſe noviſſe, & ſimul putare bona fide ſe liberum a perſolvendo debito: eſſe obſtrictum debito, & ſimul eſſe a debito ſolutum? Pugnantia hæc ſunt, ſi qua alia.

§. 31. Urget ſubtilius: Si modo non ſolvit, non peccat contra juſtitiam: non ergo tenetur modo ſolvere. Profecto. Quid tum? Colligeſne idcirco: ergo non eſt debitor? Si res ita ſe haberet, non ſolum non teneretur in præſentia ſolvere, ſed nunquam omnino. Eſt igitur Sempronius debitor, ita tamen ut ipſi integrum ſit ſerius ocius ſolutionem præſtare. Nondum acquieſcit, atque inſtat iterum multiplici ratione. Namque primum actiones perſonales ita a jure reſtringuntur, ut pereant, ſi debito tempore intentatæ non fuerint; deinde ſervitus ruſtica præſcribi poteſt, ſi alter jure ſuo non utatur intra viginti annos; tertio poteſt præſcribi immunitas a canone perſolvendo, ſi dominus non exigat ab Emphyteuta. Veriſſime hæc dicuntur. Sed illud intereſt, quod actiones perſonales extinguuntur in foro externo, ut litigiis modus fiat. Verum quid inde? Negatur etiam actio in foro externo, ſi quis deceptus fuerit non ultra dimidium juſti pretii. An propterea a deceptore præſcribitur, ut non teneatur in conſcientia reſtituere, quod ultra juſtum pretium acceptum eſt? Ad alterum vero de ſervitute ruſtica illa reſponſio in promptu eſt, nimirum ad iſtam ſola patientia opus eſſe; contra quam ex legibus præſcribes, ſi alter negligat uti jure ſuo. De colono autem, ſive Emphyteuta illud dico fore eum liberum, ſi pro exempto ſe geſſerit bona fide; non fore autem, ſi & obligatum ſe agnoverit, & pro obligato

geſſerit. Sempronius vero noſter ſe debitorem & fuiſſe, & eſſe pulchre meminerat.

§. 32. Nemo vero ſuſpicetur, quæ hactenus de præſcriptione diximus, habere dumtaxat locum in foro externo. Haud ſum neſcius Medinam (*a*), cui præluxerat D. Raymundus, egregius ille Canonum compilator (*b*), omnem præſcriptioni vim denegaſſe in foro conſcientiæ. Verum adeo univerſalis eſt contraria ſententia, ut vel inde a temporibus D. Raymundi, ut ipſemet fatetur, teneatur *per univerſum orbem, quocumque ſe diffundit Eccleſia*. Quidni teneretur? quum Eccleſia definiens nullam valere præſcriptionem abſque bona fide, atque in hac ſola parte abrogans jus civile, apertiſſime innuat valere eamdem, ſi bona fides adſit; qua conditione poſita, cætera quæ de præſcriptionibus jure civili conſtituta ſunt, minime immutata velle. Quare nullatenus dubitandum eſt, quin præſcriptio habeat locum in conſcientiæ foro; id quod docuit etiam D. Thomas (*c*). Ita tamen valida illa eſt in foro & externo, & interno, ut incidant nihilominus tempora, in quibus qui præſcripſerit, reſtituere teneatur. Namque Eccleſiis, piiſque locis, tum etiam pupillis, atque ætate minoribus conceditur beneficium reſtitutionis in integrum intra quadriennium a die præſcriptionis completæ, & cognitæ (*d*). Ac de prima ratione adquirendi dominii & jure gentium, & jure Cæſareo, ac Canonico ſatis ſuperque dictum eſt.

DIS-

(*a*) De Reſtitut. (*b*) Part. 2. h. tit. (*c*) Quodl. 12. q. 6. & 22. (*d*) L. *Sancimus* Cod. h. tit.

DISSERTATIO TERTIA.

De Ratione adquirendi Dominii privatis Conventionibus, quæ ultro citroque obligant.

§. 1. SI ea perſequi vellem, quæcumque ad rationem ſpectant comparandi dominii privatis conventionibus, infinitus eſſem. Quapropter in animum induxi de contractibus cum oneroſis, tum gratuitis in his poſtremis diſſertationibus ea prælibare, quæ & univerſaliora, & utiliora ſint, atque aliis proinde facem quodammodo præferre poſſint. Itaque juvat primum de natura conventionis, atque ejuſdem, ut ita dicam, forma, & materia; deinde de adjunctis, ſive iſtud conditio ſit, ſive modus, ſive error, ſive vis, & metus, ſive juramentum; tertio ſpeciatim de contractu Emptionis, & Venditionis; tum demum de Mutuo, & Uſuris cum apertis, tum etiam latentibus generaliora quædam perſtringere: quibus in anteceſſum diſcuſſis explanatiſque ad mutuum pecuniarium gradus fiet. Dicuntur vero univerſim conventiones hujuſmodi *commutationes voluntariæ* (*a*); ſiquidem per illas tranſfertur voluntarie dominium ab alio in alium: quod quidem ſi fiat abſque debito, erit donatio liberalis; ſi cum debito, reſque transferatur in compenſationem, erit emptio, venditio, vel etiam mutuum; ſi concedatur ſolus uſus, erit vel uſusfructus, vel commodatum, interdum locatio, & conductio; quod

(*a*) Phil. 5. Eth. D. Th. q. 61. a. 3.

quod ſi tradatur non ad uſum, ſed conſervationis cauſa, erit depoſitum; ſi ratione obligationis, erit vel pignus, vel hypotheca, vel fidejuſſio. Rem aggrediamur.

§. 2. *Duorum, vel plurium in idem placitum, atque conſenſus* a nonnullis contractus definitus eſt. At huic notioni pacta univerſim omnia ſubjecta ſunt: Pactum autem præ contractu, de quo hic agimus, latius patet. Ut enim quicumque contractus pactum ſit, non tamen e converſo. Neque enim ſi ita paciſcamur, ut fides dumtaxat obligetur, contractus erit; qui illud amplius habet, ut obligationem juſtitiæ inducat. Eſt igitur contractus *libera & legitima plurium in idem conſenſio mutuo manifeſtata, & acceptata, quæ obligationem juſtitiæ pariat in alterutra ſaltem parte. Liberam* dixi: ſic enim homines comparati ſumus, ut jure rebuſque noſtris, niſi libere conſentientes, privari nolimus. Verum libera hæc conſenſio ſatis non erit, niſi præterea fuerit cum legitima, ſive legibus conſentanea, tum etiam exterius mánifeſtata: eſt enim res humani commercii. Quum vero ex contractu oriatur plerumque actio in foro externo; actiones autem filiæ obligationis ſint (*a*): hinc obligationem juſtitiæ pariat neceſſe eſt. Quod tamen ſatis erit, ſi fiat in alterutra parte. Sed illud intereſt, quod obligatio reciproca, ſive ultro citroque, propria eſt contractus oneroſi; obligatio vero ſolum ex parte altera, propria eſt contractus gratuiti.

§. 3. Expoſita contractus notione, operæ pretium erit rite diſtinguere ea, quæ ſunt de ſubſtantia conventionis, ſine quibus iſta nequit conſiſtere, &

(*a*) L. *Sicut* D. de Procur.

& ea quæ ſunt dumtaxat de conventionis natura, nimirum quæ ita eidem adhærent, ut ſi divellantur, non continuo conventio deſtruatur. Nihil iſthic pro arbitrio fictum, pace dixerim Conçinæ, atque aliorum ſiqui fuerint, qui hoc diſcrimen arbitrarium putant. Docuit nos iſtud, quidquid eſt, diſcriminis Papinianus (*a*), docuit Acurſius (*b*). Certe nihil conſentaneum magis naturæ mutui, quam ut nihil vi ipſius accipiatur ultra ſortem. Fac quidquam accipi: inficitur quidem mutuum uſuræ labe, at non deſtruitur. Alterum etiam accurate diſtingui oportet: non enim idem eſt contractum perfici, atque compleri. Equidem emptio venditio, ſi adfuerit conſenſus de pretio, & merce, perfecta conventio eſt; at eadem completa non erit, donec rei traditio ſecuta ſit. Perficiuntur vero contractus quadrupliciter: *aut enim re contrahuntur* (obligationes), *aut verbis*, *aut litteris*, *aut conſenſu*, nimirum ſolo (*c*). Et primum quidem *re* contrahitur obligatio in mutui datione, commodato, depoſito: deinde *verbis* in ſtipulatione, certa videlicet verborum formula, quæ deinde per Leonis Conſtitutionem ſublata eſt, atque eidem ſubrogata ſcriptura; tertio *litteris*, dum contrahentes nolunt firmari contractum, donec inſtrumentum ea de cauſa confectum ſit; demum ſolo *conſenſu*, ut in venditione, conductione, ſocietate, donatione, mandato, quibus juris privilegio hypotheca, pignus, ſponſalia, & matrimonium adjecta ſunt. Hæc e medio jure.

§. 4. Duo illa controverſa: primum, an ſatis ſit ad contractum conſenſus fictus, & ementitus; alte-

(*a*) In L. *Pacta conventa* D. de contrah. Empt. (*b*) Ibid.
(*c*) Inſtit. §. Final. *de Obligat.*

alterum, an firmus ſit contractus de re inhoneſta. Una cum conſenſu ficto poſſe conventionem ſtare tuetur Baſilius Pontius. Aſt ego qui nullus dubito, quin idem ſit dicere conſenſum fictum, ac nullum dicere, ubi conſenſio ficta eſt, conventionis veræ firmæque ne veſtigium quidem video: ut proinde aſſentiar Bartholo (*a*), qui hujuſmodi ſimulatas conventiones ne nomen quidem contractus mereri dixit. Verum urget Vaſquezius. Ut deſit conſenſus ex parte contrahentium, non tamen deficit omnino: ſupplet enim reſpublica ob publicum bonum. Quid? quod dolus & fraus nulli patrocinari debent. Miror acutum Vaſquezium illud non vidiſſe, in contractu matrimonii rempublicam nec ſupplere, nec porro poſſe. Ad publicam vero tranquillitatem ſatis fuerit, ſi is qui ficte contraxit, adigatur in foro externo ad ſervandam alteri fidem, quam obligare debebat, & non agere dolo malo. Adde ſimulatorem teneri reſarcire damna, ſiqua provenerint ex fictione ſua: tantum abeſt, ut ſua ipſi fraus patrocinari queat.

§. 5. De conventione vero ad rem inhoneſtam inter omnes conſtat, ante patratum facinus nullam vim conventioni ineſſe. Quiſnam enim ſeſe ad peccandum valide obligare poſſit? Sed impleto opere turpi quidnam juris ſit, non adeo convenit inter Theologos. Verum ego doctrinæ in eiſdem, fateor, cohærentiam deſidero. Nam quod meretricio conceditur vel a D. Thoma, & habetur expreſſum in jure (*b*); cur negandum ſit maleficiis aliis, certe non video. Negat tamen Concina (*c*) cum aliis. Sed ſi ea eſt cauſa negandi, quia

(*a*) In L. ult. D. *de jur. delib.* (*b*) L. 44. D. *de condict. ob turpem cauſ.* (*c*) Tom. 7.

quia nimirum contractus jam inde ab initio irritus fuit; primum illa reſponſio facilis eſt, ſcilicet nimium probari hoc argumento; quod quidem ſi valeret, nec pretium pro meretricio retineri poſſet. Deinde contractus de dando pretio re ſecuta ſi ponatur conditionatus, validus erit conditione impleta. Quare reſpondet nonnemo, & fortaſſe ſatis commode, obligationem oriri ex conſenſu, non quatenus antecedit, ſed quatenus ſubſequitur opus malum: neque aliter putat explicandum votum ſub conditione *ſi me inebriavero*, quod ebrietate ſecuta certe validum eſt. Vid. Joann. Reuter (*a*). Atque hæc de duplici quæſtione.

§. 6. Sed res contractibus obnoxiæ non ſolum debent eſſe honeſtæ, ſed etiam poſſibiles, & propriæ: namque ad impoſſibile neminem obligari poſſe, neque plus juris quemquam in alium tranſferre, atque ipſe habeat, expediti juris eſt (*b*). Nonnulli tamen ſunt, qui etſi dominium transferre valeant, legibus tamen prohibentur. Conſule Diſſertationem priorem. Adde ebrios, furioſos, amentes, prodigos.

§. 7. Porro contractus ita dividitur, ut alius ſit nominatus, alius innominatus. Ille præter genericum contractus nomen, & ſpecificum permutationis, quod commune eſt conventionibus ultro citroque obligantibus, uti explicat De-Lugo (*c*), habet etiam peculiare nomen, puta venditionis, commodati, pignoris. Alius vero caret peculiari nomine, & eſt quadruplex; do ut des; facio ut des; do ut facias; facio ut facias (*d*). Inter utroſque illud intereſt, quod in contractibus nominatis

(*a*) Sect. 3. (*b*) Reg. *6.* & *79.* J. in *6.* (*c*) Diſp. 22. (*d*) L. *Naturalis* de præſcriptis verb.

natis nefas eſt pœnitere, ideſt reſilire, altero invito (*a*): in aliis autem licet per jus civile, ita ut negetur actio parti adverſæ, dummodo ipſius indemnitati conſulatur (*b*); at ipſum non licet per jus Canonicum, ſi pars altera ad perſolvendam fidem parata ſit (*c*). Sed contractuum, in quibus conceditur actio, alii ſunt bonæ fidei, quia in eiſdem juxta conſuetudinem legeſque patrias plura ſubintelligi par eſt, atque ita verbis præſcripta ſunt, ut judex multa arbitrari poſſit ex æquo, & bono, & detur locus Epichejæ; alii autem ſunt ſtricti juris, in quibus judici non licet recedere a præſcriptis verbis; ſed uti *lingua nuncupaſſit*, *ita jus eſto*: Quod eſt in legibus duodecim tabularum. Atque ita efficitur, ut res utrobique ad eam æqualitatem reducatur, quæ juſtitiæ commutativæ quaſi anima eſt. Bonæ fidei habentur Emptio, Venditio, Conductio, Mandatum, Depoſitum, Pignus, Commodatum, Tutela, hæreditatis petitio, atque aliæ conventiones nonnullæ, quas dabunt Inſtit. *de actionibus*: cæteræ omnes ſtricti juris ſunt.

§. 8. Jam vero ut actio concedatur, opus eſt ut contractus favore legis munitus ſit, quo ſi deſtituatur, ſola exceptione gaudet. Sed favore legis muniuntur contractus, ſive *veſtiuntur* ſextupliciter, nimirum vel proprio ipſorum nomine, vel rei interventu, vel ſtipulatione, vel adjectione alterius pacti veſtiti, vel juris privilegio, vel, ut nonnulli exiſtimant, jurejurando. Atque hæc de contractus natura.

§. 9. Sequuntur adjuncta quædam, quorum primum Conditio eſt. Hanc autem a modo ita diſtin-

[*a*] L. *Sicut* Cod. *de action.* [*b*] L. *Si pecuniam* Cod. de condict. cauſ. data. [*c*] V. Molinam diſp. 258.

ſtinguimus, ut conditio obligationem connectat cum futuro eventu; modus vero obligationem afficiat novo quodam onere. Hinc conditio ſæpiſſime obligationem ſuſpendit, modus non item. Ex quibus colligitur legatum ſub modo ſtatim exigi poſſe, ſi modo legatarius ſatiſdet de novo adimplendo onere. At quod promiſſum eſt ſub conditione quadam de futuro eventu, peti non poteſt, donec eventus ſecutus ſit: niſi fuerit conditio poteſtativa; *quæ* nimirum *eſt in hæredis poteſtate*; dummodo iſte præſtiterit cautionem Mucianam (*a*). Inter conditiones vero illud intereſt, quod ſi fuerit de re impoſſibili, ſive contra bonos mores, contractus corruit de jure naturæ; videntur enim qui ſic contrahunt, vel jocare, vel inſanire. Excipienda tamen ſunt cum Matrimonia, tum ultimæ voluntates, ubi ſi conditio ipſorum ſubſtantiæ non adverſetur, habenda eſt pro eo, ac ſi non adjecta fuerit.

§. 10. Alterum adjunctum Error eſt. Et hic quidem vel cauſam habet intrinſecam, puta ignorationem, imprudentiam; vel extrinſecam, quæ provenit ab aliena machinatione, & dicitur dolus. Iterum vel eſt circa rei ſubſtantiam, ſcilicet materiam contractus, aut præcipuam contrahendi cauſam, aut contractus naturam & indolem, quæ alia omnino ſit, ac putaveras; vel eſt circa rei qualitatem, nimirum quod ne quidem de contrahentium mente ſit ſubſtantia contractus, aut circa cauſam minus præcipuam. Si qua enim fuiſſet anterior cauſa, quare peregrinationem voviſſes ad Virginis Lauretanæ, deinde vero accederet nova quædam vel occaſione prioris, vel hanc ſupponens,

ex.

[*a*] L. 7. D. *de condict. & demonſtr.*

ex. gr. cauſa conveniendi amicum, quæ delibera-tum peregrinandi animum magis impelleret, atque excitaret; prima illa principalior eſt, & dici ſolet *motiva*, ſive *finalis*, poſterior minus præcipua erit, quæ etiam dicitur *impulſiva*. Sed error modo antecedit contractum, modo comitatur. Antecedit quidem, ſi dat cauſam contractui, nimirum cauſa eſt, ut contractus fiat, qui ſi error abeſſet, ſi pateret veritas, non fieret: comitatur autem, ſive incidit, quando eſt hujuſmodi, ut tametſi veritas cognoſceretur, fieret nihilominus contractus. At enim quúm errantis nullus conſenſus ſit (*a*), ſi fuerit erratum circa rei ſubſtantiam errore antecedenti, nulla conventio eſt. Sed erratum fuit circa qualitatem. Stat conventio, ſaltem ſi fuerit oneroſa, ideſt pariens ultro citroque obligationem: nam de gratuitis alii alia (*b*). Quid vero ſibi lex voluit, dum contractus initos dolo contrahentis malo vocat nullius momenti? Hoc nimirum, poſſe reſcindi pro decepti arbitrio, cui conceditur actio redhibitoria, modo reſcindibiles ſint (*c*). Aliter res habet, ſi dolus malus proveniat a quodam tertio; etenim & contractus valet, & nullus reſciſſioni locus eſt. Datur tamen decepto contra tertium actio ad *id quod intereſt*.

§. 11. Sed ab errore ad vim, & metum. Accidit enim interdum, ut incutiatur metus gravis, ideſt cadens in conſtantem virum, incutiatur, inquam, ab altero contrahente, & quidem injuſte, & ut conſenſum extorqueat. Non negaverim conventiones hujuſmodi irritari poſſe: at nego cum graviſſimis Auctoribus eſſe irritos jure naturæ. Utrum-

[*a*] L. 9. Cod. de Jur. & fact. ignor. [*b*] V. Vaſq. 1. 2. diſp. 30. [*c*] L. *Si dolo* Cod. de reſcind. vendit.

Utrumque conficitur ex L. *Si mulier* (*a*). En verba: *Si metu coactus adii hæreditatem, puto me hæredem effici; quia quamvis ſi liberum eſſet, noluiſſem, tamen coactus volui. Sed per prætorem reſtituendus ſum, ut abſtinendi mihi poteſtas tribuatur*. At metum paſſus dicitur rem adhuc habere in bonis ſuis. Argumentum Soti eſt, cui ſuffragatur Molina. Habet quidem in bonis ſuis fictione juris prætorii, quo ipſi conceditur beneficium reſtitutionis in integrum. Et ſane *nemo videtur re excluſus, quem prætor in integrum ſe reſtituturum pollicetur* (*b*). Quæ quidem omnia intelligi volumus de contractibus oneroſis, ſive lucrativis: nam gratuitorum alia fortaſſis ratio eſt. Confer Dicaſtillum, atque accurate perpende paucula illa D. Thomæ, ſed gravia: *Quidquid transfertur ab uno ad alium per violentiam, non datur, ſed aufertur* (*c*).

§. 12. Juramentum etiam contractibus ſæpiſſime adjungi ſolet, cujus ea vis eſt, ut quandoque ſervari queat, ob debitam Deo reverentiam ſervandum ſit. Quare in iis etiam, quæ per vim, & metum extorta ſunt, vel ſervanda jurisjurandi religio eſt, vel petenda relaxatio. Sunt tamen conventiones quædam, quæ a jure Civili pro infectis habentur ob privatam contrahentium utilitatem. Hæc jure poſitivo irrita, ſi forte ipſis juramentum acceſſerit, firmanturne perinde, roburque accipiunt, ac ſi nulla lex irritans exiſteret? Nulla eiſdem accedit firmitas juris; nova ſolum obligatio religionis adjuncta eſt. Novi Lugonem, Sanchez, alios reclamare, qui propterea quod cap. *Quum contingat* (*d*), & alibi præceptum judicibus ſit, ut ejuſ-

(*a*) D. *quod metus cauſa*. (*b*) D. de reſtit. in integr. (*c*) Opuſc. 77. cap. 4. (*d*) De Jurejur. in 6.

ejuſmodi juramenta ſervari faciant ; in ea ſunt ſententia , ut putent , accedente juramento , ita contractus firmari , ut validi fiant . Verum aliud eſt curare , ut ſerventur hujuſmodi contractus , atque inhibere judices , ne cujuſdam actionem contra eoſdem admittendam putent ; aliud eſt contractus ipſos validos fieri . Illud exigebat juramenti reverentia , quæ , ni partes ſtarent contractui , ſervari non poſſet : at hæc tota obligatio e religione eſt ; ſolam perſonam afficit ; quod tamen multo ſecus eveniret , ſi ob juramenti acceſſionem nova a jure firmitas iis contractibus adjungeretur .

§. 13. Et hæc generatim de conventionibus oneroſis . Sequitur , ut de iis ſeparatim dicendum ſit , quibus transfertur plenum rei dominium , quales ſunt Emptio , Venditio , & Mutuum . Eſt igitur emptio , venditio : *Contractus conſenſualis de certo pretio pro certa merce* . Niſi enim interveniat certum pretium , & merces etiam ſaltem in ſpecie determinatæ fuerint , contractus evadit irritus (*a*) . Sub illo vero mercium nomine continetur res quælibet pretio æſtimabilis ; nomine autem pretii ſola intelligitur pecunia . Nam *pretium in numerata pecunia conſiſtere debet* (*b*) : alioquin eſſet mera permutatio , uti contra Sabinianos judicavit Imperator . Origo enimvero pecuniæ a permutationibus repeti ſolet . Quum enim permutatio mercis pro merce , quæ una antiquitus vigebat , non ſemper in promptu eſſet (*c*) , electa materia eſt pecunia , ſive nummus , cujus publica , & perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubveniret . Eaque materia forma publica per-

(*a*) L. *quod ſæpe* D. h. tit. (*b*) Inſtit. h. tit. (*c*) L. *Origo* D. h. tit.

percuſa uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate: nec ultra merx utrumque, ſed alterum pretium vocatur. Hæc fere ab Ariſtotele hauſta ſunt (*a*).

§. 14. Sed quemadmodum per Emptionem, & Venditionem medio rerum pretio difficultatibus permutationum ſubventum eſt, ſic etiam medio mutuo proviſum fuit proximorum indigentiis. Eſt enim mutuum *traditio rei* (ideſt contractus rei interventu) *in ſuo genere functionem recipientis, ut ſtatim accipientis fiat, & poſtea tantumdem reddatur ejuſdem bonitatis, & qualitatis* (*b*). Eſt ergo illud diſcriminis inter venditionem, & mutuum, quod in illa ſervanda eſt æqualitas inter pretium, & mercem; in iſto ſervanda eſt æqualitas inter rem unam fungibilem, atque aliam ejuſdem generis. Quod ſi æqualitas hæc non ſervetur, peccatur ſemper contra juſtitiam commutativam: & in venditione quidem illo peccati genere, quod univerſim dicitur injuſtitia; in mutuo autem peccato illo, quod præter generale injuſtitiæ peculiari donatur uſuræ nomine. Eſt ergo horum duorum contractuum affinitas maxima. Transfertur in utroque plenum rei dominium; res una cum æquali permutatur; conventione perfecta completaque rei commodum, ſive periculum ad eum ſpectat, ad quem translatum dominium eſt; ut ſi res pereat, eidem pereat, ſi qua ex ea utilitas capiatur, ipſi etiam cedat neceſſe ſit. Illud tamen venditio peculiare habet, ut, etiam non ſecuta traditione, periculum, & commodum rei venditæ ad Emptorem tranſeat (*c*).

F §. 14. Sed

(*a*) 1. Polit. *6.* (*b*) L. 2. D. *de rebus cred.* (*c*) Inſtit. h. tit.

§. 15. Sed bina hæc conventio longe ab aliis omnibus diverſa eſt. A locatione quidem, & conductione, quia in iſtis uſus rei, non res ipſa conceditur: quod idem dici par eſt de uſufructu, & commodato. A depoſito autem differunt, quia in iſto res traditur cuſtodiæ cauſa. Deinde differunt a pignore, fidejuſſione, hypotheca; quia quum in iis res obligetur ad ſecuritatem crediti, nulla dominii translatio fit; imo neque conceditur rei commodum. Jam vero rei ſive commodum, ſive uſum dupliciter diſtinguendum puto. Interdum enim rei uſus in ipſo abuſu, ſive conſumptione poſitus eſt; interdum poſt uſum res ipſa integra perſeverat. Sic qui vino utitur ad potum, eodem etiam abutitur: neque enim uti bibendo poteſt, niſi conſumat: verum qui ædibus utitur quas conduxit, non eiſdem abutitur, ſed exacto conductionis tempore ædes numero eaſdem ſartas tectas locatori reſtituit. Hæc latiſſime patent: quum vel res ipſæ, quæ functionem recipiunt, tametſi magna ex parte dentur ad abuſum, poſſit tamen fieri, ut dentur ad ſolum uſum, reſtituendæ deinceps: ut ſiquis tuis aureis ad pompam, ſive ornatum aliquem uti vellet, manente dominio apud te, cui deinde reſtituendi ſunt (*a*).

§. 16. Atque ita rite diſtincto duplici uſu, quorum alter ſeparari poteſt a dominio, alter cum eodem ita implicatus eſt, ut divelli nequeat; facile intelligitur, qui fiat, ut ſi unus aliquis ænopola aliud pretium exigeret pro vino, aliud pro uſu vini, non modo ridiculus, atque alienus a communi ſenſu, ſed etiam injuſtus haberetur. Quod enim rem pretio æſtimabilem reddit, utilitas

(*a*) V. D. Thomam loc. cit.

tas eſt: quamcumque ergo rem pretio emerit, eodem rei utilitatem emptam a ſe quilibet non inſanus putat. Quod adeo perſpicuum eſt, ut ſi empturus a Titio bovem, aperte declarares eum a te quæri, qui terram frangat aratro, Titius vero talem venderet, qui eſſet huic labori inutilis; corrueret contractus, quia in ſubſtantia erratum eſt: *Si quid* enim *tale fuerit vitii, ſive morbi, quod uſum miniſteriumque impediat, id dabit redhibitioni locum* (*a*). Itaque rei utilitas quæritur, ſive peculiaris quædam, uti in conventione propoſita, ſive univerſim illa, quæ vulgo ſolet. Sunt enim res iſtæ in humano commercio, in quo ſi quid utile, ſi quid deſervire poſſit ad humanos uſus, hoc quærimus; inutilia nemo quærit, niſi qui ineptiſſimus ſit.

§. 17. Quod autem in ænopola reprehendimus, nonne etiam vituperandum in eo erit, qui vinum alteri, vel ſi quid aliud fungibile mutuum dederit? Utrobique una atque eadem ratio eſt. Qui rem dat mutuam, eam diſtrahit, transfert dominium in alterum, qui quidem eo ſolum nomine non dicitur rem emiſſe, quia non eam accipit pro pretio, ſed pro alia ejuſdem generis reſtituenda, quæ tantumdem valeat in qualitate, & bonitate; ac propterea dicitur accepiſſe mutuam. De reliquo nec ovum ovo ſimilius, quam venditio mutuo ſimilis eſt: ut proinde quod in venditione injuſtum ſit, in mutuo juſtum eſſe non poſſit. Quare minime audiendus eſt Antonius Genuenſis (*b*), qui in mutuo pecuniario ſi quando ad illud præſtandum nulla conſtringimur charitatis lege, ul-

(*a*) L. *Labbeo* D. de ædilit. edict. (*b*) Lezion. di Commercio part. 2. cap. 13.

tra ſortem deinde reſtituendam quidquam amplius pro rei commodo poſſe a mutuatore accipi, multis probare nititur: atque ea animi confidentia eſt, ut non vereatur *ſtare omnia contra tela* Theologorum, quorum hoſtiles acies ſibi fatetur ex adverſo ſtare. Quinimmo ardet eidem animus conferre pedem, ſperatque fore, ut Theologi, *ſi modo rationem auſcultare velint*, armis poſitis initaque concordia eadem ſentiant, atque ipſe exiſtimat. Æquiſſima conditio eſt; ſed parum modeſte propoſita graviſſimis Theologis, quorum familiam ducit D. Thomas, qui non prius damnarunt hujuſmodi auctarium, quam conſuluiſſent rationis lumen. Unus pro cunctis audiatur cæterorum princeps: *Sciendum quod quædam res ſunt, quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio, ſicut vinum conſumitur utendo ad potum ..... unde in talibus non debet ſeorſim computari uſus a re ipſa; ſed cuicumque conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res; & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Siquis autem vellet ſeorſum vendere vinum, & vellet ſeorſum vendere uſum vini, venderet rem bis, vel venderet id quod non eſt: unde manifeſte per injuſtitiam peccaret. Et ſimili ratione injuſtitiam committit, qui mutuat vinum, aut triticum, petens ſibi dari duas recompenſationes, unam quidem reſtitutionis rei, aliam vero pretium uſus, quod uſura dicitur. Pecunia autem eſt inventa ad compenſationes faciendas; & ita proprius ac principalis pecuniæ uſus eſt ipſius conſumptio, ſive deſtructio, ſecundum quod in commutationibus expenditur, & propter hoc ſecundum ſe eſt illicitum pro uſu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur uſura* (*a*). Conſuluitne

(*a*) 2. 2. q. 78. a. 1.

fulcitne rationem D. Thomas? Nihil iſthic a Sacra Pagina, nihil e Sanctis Patribus. Quanta eſt D. Thomæ argumentatio, tota a ratione petita eſt. Ex hac vero quæſita repertaque potuitne clarioribus verbis exprimere ſententiam novæ illi contrariam: *unde manifeſte per injuſtitiam peccatur: & ſimili ratione injuſtitiam committit* &c.?

§. 18. At enim, reponit Adverſarius, non id dicunt ſive Patres, ſive Theologi, quod videntur dicere. Scilicet. Ergo ſive Patres, ſive Theologi, quando e re tua non eſt, aliud cogitant, aliud ſcribunt. Mirabar novum interpretandi genus, quod a Dialecticis in illis ſuis de interpretatione regulis fuerit prætermiſſum. *Secundum ſe*, ait D. Thomas, atque eidem aſſurgunt Theologi omnes majorum gentium, *eſt illicitum pro uſu pecuniæ mutuatæ accipere pretium*, *quod dicitur uſura*. Sed monitos velim, quotquot fuerunt, aut erunt D. Thomæ interpretes, hoc quidem ſcripſiſſe D. Thomam; at non hoc velle, quod videtur voluiſſe. Quid ergo voluit? Si novo interpreti fides eſt, voluit eſſe licitum, quod ſcripſit illicitum. Riſum vix tenerem, ſi joco locus eſſet in re tam ſeria. Non uno tamen ictu res iſta conficienda eſt: alibi pugna inſtaurabitur. Redeo ad emptionem, & mutuum.

§. 19. Itaque emptio venditio rei pro pretio commutatio eſt. Pretium vero aliud eſt legitimum, ſcilicet quod publica auctoritate conſtitutum eſt, adeoque a privatis nec minui, nec augeri poteſt; aliud vulgare, quod ex communi hominum æſtimatione definitur. Communis autem æſtimatio conſurgit multiplici ex capite. Namque an ſit mercium penuria, vel copia, an emptorum

multitudo, vel infrequentia, an venditores expenſarum multum, vel parum fecerint, atque alia id genus ſpectari ſolent. Sed ejuſdem pretii, quod fori ex. gr. hodierni eſt, conſentiunt homines in quamdam latitudinem, ultra quam nec fas eſt venditori aſcendere, neque emptori deſcendere. Intra hos vero fines, quocumque demum pretio ſive ematur, ſive vendatur, juſto pretio contrahitur. Quæri amplius poteſt de tertio pretii genere nec legitimo, nec vulgari. Sunt enim interdum vel res peregrinæ, vel nova quædam artefacta, quorum æſtimatio nec lege ulla, neque communi hominum judicio definita eſt. De his tritum illud *tanti valent*, *quanti vendi poſſunt*, ideſt, ut ego interpretandum exiſtimo, pro quanto inter contrahentes ipſos ſcientes volenteſque conventum ſit.

§. 20. Sed de communi hominum æſtimatione dubitari ſolet, an ea ipſi vis ſit, ut poſſim vendere currenti pretio; tametſi noverim brevi futuram mercium copiam, ex qua fiat, ut pretium decreſcat. An juſte id faciam, quæritur; an parum honeſte, & non ut decet virum bonum, alia quæſtio eſt: in qua Tullius Antipatri ſententiam tuetur, contenditque, qui hoc faciat *in ſumma annonæ caritate*, contra honeſtatem agere. Quod ut verum pleriſque videatur; de conſequutione tamen hac ſua Tullius viderit. Ut enim illud hominis fuerit *non aperti*, *non ſimplicis*, *non ingenui*, *non viri boni*; at non continuo *injuſti*, *veteratoris*, *vafri* (*a*). Namque aliud eſt juſtitiam lædi, aliud charitatem. Ut propterea Diogeni, qui hoc ſolum vult, nemini ſcilicet injuriam fieri, cauſa adjudicanda ſit. Diſtinguenda igitur officia ſunt,

Modo

(*a*) 3. de Off. num. 57.

Modo de juſtitia quærimus, atque illud diſcutitur, ſitne contra juſtitiam, quoniam vendo, velle quam optime vendere; dicere etiam rei vitia, quatenus jure conſtitutum eſt: de futura vero copia tacere omnino. Nihil peccari contra juſtitiam docet nos D. Thomas (*a*). Vendit pretio, quod invenit, ideſt præſenti; nec curandum venditori eſt de pretio futuro. Alioquin neque liceret illi, qui privata cognitione noverit pretium augendum, emere in præſentia minoris; quum tamen idipſum non ſine laude Joſephus fecerit (*b*). Quare non bene philoſophantur, qui publicum errorem, vel ignorationem ponunt in rei vitio. Quod enim publice neſciatur minuendum pretium, non reddit vitioſam mercem aut in quantitate, aut in qualitate. Vitioſum, inquam, eo vitii genere, quod manifeſtari oporteat.

§. 21. Duplex enim eſt vitii genus, aliud manifeſtum, aliud latens. Et manifeſtum quidem emptor edocendus non eſt, *puta ſi equus ſit monoculus*, ait D. Thomas (*c*). Nam ſibi tribuat, ſi quæ patent, non ſatis videt. Expoſita res eſt; debuiſſet conſiderare. Latens vero occultumque vitium eatenus manifeſtare oportet, quatenus ex rei *vitio damnum* (venditor) *ſive periculum incurrere poteſt. Damnum quidem ſi propter hujuſmodi res, quæ vendenda proponitur, minoris ſit pretii .... ipſe vero ..... (*emptor*) nihil de pretio ſubtrahat. Periculum autem ſi propter hujuſmodi vitium uſus rei reddatur impeditus, vel noxius: puta ſiquis alicui vendat equum claudicantem pro veloci, vel ruinoſam domum pro firma, vel cibum corruptum, ſive venenoſum pro bono. Si vero ...... uſus rei, etſi* non

(*a*) Q. 73. a. 3. (*b*) Gen. 41. (*c*) Loc. cit. O.

non competat venditori , poteſt tamen eſſe conveniens aliis , & ipſe (emptor) *propter hujuſmodi vitium ſubtrahat quantum oportet de pretio , non tenetur ad manifeſtandum vitium rei* (*a*). Diligenter igitur cavendum, ne ob occultum vitium emptori creetur ſive damnum , ſive periculum : in qua parte rectius Antipater præ Diogene. Neque enim illud conſequitur, quod iſte putat, ut prædicandum domini juſſu ſit, *domum peſtilentem vendo*. Non opus eſt , ut occulta vitia proſcribantur ; *exterrerentur* enim *emptores ab emendo, dum ignorarent alias conditiones rei, ſecundum quas bona eſt, & utilis*. Satis fuerit, ut de vitio admoneatur is, *qui ad emendum accedit;* hic enim *poteſt ſimul omnes conditiones ad invicem comparare bonas, vel malas* (*b*). Quid vero ſi vitium ſit patens , emptor tamen ſive præ hebitudine , ſive alia de cauſa illud ſatis obſervare non poteſt ? Graviſſimorum Theologorum ea opinio eſt, ut tametſi contractus ſit validus ſaltem re non integra , emptor , qui non admonuerit , peccet , & ad reſtitutionem teneatur. Confer Salmanticenſes (*c*), Lugonem (*d*), Aragonium (*e*).

§. 22. Difficilior ea quæſtio eſt , an dum plures conſpirant, ut vendant ſoli, ſed intra limites juſti pretii , non modo charitatem violent , ſed etiam juſtitiam. Ab iis charitatem lædi minime dubitandum eſt. Illud controvertitur, an violetur etiam juſtitia. Gravis pro utraque parte auctoritas eſt ; ſed rationes expendamus. Qui violari putant, eo argumento probant , quod cives impedire , ne minoris emant , injuſtum ſit. Siquidem , inquiunt , violatur jus Civicum , impeditur utilitas publica. Alii

(*a*) D. Thom. ibid. (*b*) D. Thom. ibid. ad 2. (*c*) Cap. 2. (*d*) Diſp. 26. (*e*) In q. 77. a. 3.

Alii contra ex illa generali formula, *Non peccat contra juſtitiam, qui alium impedit, ne conſequatur bonum aliquod, modo abſint mendacia, vis, dolus malus*, negant injuſte fieri, reſpondentque non eſſe juſtitiæ commutativæ conſulere utilitati publicæ: id ad Legalem pertinere. Quare ut violetur alia virtus, charitas in primis, at juſtitiam commutativam non lædi. Sic in hac dubia cauſa Auctores illi. Atque ex his diſce alia: nam de toto monopoliorum genere pro dignitate agere minime ei licet, cui properato opus eſt.

§. 23. Sequitur enim, ut dicamus de mutuo maxime pecuniario, & quæ mutuum ſæpiſſime inficiunt, uſuris, ſive manifeſtæ illæ ſint, ſive ſub nomine juſti cujuſdam tituli latere velint. Argumentum enimvero difficile æque, ac periculoſum, in quo illud in primis cavendum, ne decipiamur ſpecie recti: namque incedimus per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Quas enim non excogitavit rationum argutias vel auri ſacra fames, vel cupido alia? Sed duce fide, ratione comite, & viam præeuntibus magni nominis Theologis, ac Juriſperitis, impavidi nos demus difficili huic viæ.

§. 24. Principio ipſa nominis interpretatio ſatis oſtendit, per mutuum transferri dominium. Eſt enim mutuum, quia ex meo fit tuum. At non placet Cujacio (*a*) etymologia iſta. Saltem illud dabit, ita per mutuum rem tradi, ut ſtatim *accipientis fiat* (*b*). Transfertur igitur rei ſubſtantia, ſive ſpecies. Debet quidem mutuatarius tantumdem reddere, & proinde *ære alieno gravatus* dicitur, quia creditor jus habet ad quantitatem: ſed ſpe-

(*a*) Obſerv. 10. (*b*) D. *de reb. credit.* Inſtit. *Quib. alien.*

ſpecies mutuo data ſub mutuatarii dominio eſt; poteſt de eadem diſponere arbitratu ſuo. Hinc Claudii Salmaſii ſententia, negantis mutuum alienationem eſſe, merito exploſa jamdudum, atque protrita eſt. Ex his fluit, rei per mutuum traditæ ſive commodum, ſive periculum ad mutuatarium ſpectare, ut ſi fructus pariat, eidem pariat; res enim fructificat domino ſuo (*a*): ſi pereat, eidem pereat, quippe qui dominus rei eſt. Itaque qui pecuniam frugiferam dixere, atque eo nomine licitum eſſe in mutuo pecuniario recipere auctarium ultra ſortem, mihi videntur duo peccaſſe. Primum quidem quod frugiferam dicerent. Nam vel loquuntur de naturæ, vel de induſtriæ fructibus. Credo de fructibus ſolius induſtriæ. Quandoquidem pecunia civiles fructus parere poteſt, naturales non poteſt. Atqui res fructificat domino ſuo. Conſequens ergo eſt, ut non mutuatoris, qui dominium tranſtulit, ſed mutuatarii, qui adquiſivit pecuniæ dominium, fructus illi ſint. Quare peccant deinde, dum urgent exempla navis, domus, ſimilium, quibus utebatur Borcholtius cap. 1. Certe neſcio, qui fiat, ut conventionum diſcrimina, & quidem apertiſſima, & e medio jure; aut fugiant homines cæteroquin doctos, aut ab iiſdem ſcientibus volentibuſque confundantur. Brevi dicam. Alia eſt ratio mutui, alia locati, alia commodati, alia emphyteeueos, alia ſocietatis. Et in locatione quidem, & commodato traditur ſolum utenda res non fungibilis, eademque exato tempore reſtituenda eſt. In Emphyteuſi traditur ſolus uſusfructus, ſive dominium utile: in contractu ſocietatis eſt rerum, vel operarum communio, lucri in commune

(*a*) Inſtit. §. 35. *de rer. diviſ.*

mune faciendi cauſa. Verum in nullo ex his contractibus transfertur plenum rei dominium. Secus res habet in mutuo, uti ſæpius diximus, & ſæpiſſime dicendum eſt. Quænam igitur inter locationem, & mutuum contentio, & comparatio fieri poteſt, ut ab illa in iſtud argumentari liceat? Legitima eſt locationis merces, ubi vera intercedit locatio. Sed quænam, rogo, locatio inveniri poteſt, ubi data res ſit non ad uſum, ſed ad abuſum? Videſis illuſtrem locum D. Chryſoſtomi in Matth. cap. 21. Creditor (quis neſciat?) jus habat ad quantitatem ſimilem: verum, hac reſtituta, æqualitas illa efficitur, quam in conventionibus exigit juſtitia commutativa. Centum dederas, centum tibi debebantur, centum perſoluta ſunt. Quidnam quæris amplius? Viſne ex alieno locupletari? furtum eſt. Quapropter conſtituenda, atque obſervanda eſt generalis formula: Si quid pretio æſtimabile accipitur vi ſolius mutui ultra ſortem debitam, injuſtum eſt, uſura eſt. Id naturæ lumen, id leges docent. *Re obligatio non poteſt contrahi, niſi quatenus datum ſit* (*a*).

§. 25. Porro non hic uſuram in ea ſignificatione accipimus, qua rei cujuſque uſus uſura dicitur. Sic *uſuram vitæ*, *uſuram lucis*, *uſuram falſi gaudii* non ſemel legimus. Sed acceſſio quævis ultra ſortem, quæ quidem acceſſio fiat vi ſolius mutui, hæc in præſentia nobis uſura eſt, quæ dicitur lucratoria. *Vi*, inquam, *ſolius mutui*; quandoquidem eſt etiam in mutuo uſura latiſſime dicta, nimirum *id quod intereſt*. Frequenti Juriſconſultorum ſermone tritum hoc vocabulum eſt. Verum aliud eſt uſuras capere in mutuo, ſive occaſione mutui,

aliud

(*a*) L. 12. D. *de pact.*

aliud ex mutuo. Neque enim nos latet *poſſe quandoque cum mutui contractu alios, ut ajunt, titulos, eoſque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos forte concurrere, ex quibus juſta omnino legitimaque cauſa conſurgat, quidquam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi*: id quod docet conceptis verbis Benedictus XIV. (*a*). Auctaria ex hujuſmodi titulis uſuræ dicuntur in ea latiſſima ſignificatione, quam ſuperius diximus; eaſque Auctores dividunt in *compenſatorias*, & *moratorias*.

§. 26. Jam vero ad uſuras compenſatorias juſta & probata habetur cauſa omnium prima *id quod intereſt*. In eo enim, qui mutuum confert, indemnitatis ratio habenda eſt, ne ex officio damnum ſentiat. Compenſanda igitur eſt utilitas nobis erepta, vel prærepta, quæ cenſetur *intereſſe* nomine: Eripitur vero, quod habuimus: en damnum emergens. Præripitur, quod de proximo potuimus habere: en lucrum ceſſans, ſive averſum impeditumque. Aliis verbis Paulus Juriſconſultus, *quantum mihi abeſt, quantum lucrari potui*. De hoc duplici titulo mira inter Auctores conſenſio eſt. Neque illos moror, qui titulum lucri ceſſantis incognitum Veteribus dicunt. Verum fuerit; *monſtravit ſed longa dies meliora repertis*: quum adeo certa evaſerit hæc opinio, ut, teſte Daniele Concina, e Catholicis pauci, iique infimi ſubſellii eam impugnent. Primum, qui eam docuerit, fuiſſe Conradum ſcribit Sotus: at fallitur egregie. Hanc tenuit D. Thomas (*b*). Idem titulus Benedicto XIV. probatus eſt.

§. 27. Sed

(*a*) In Encycl. *de uſuris*. (*b*) Confer q. 62. & 78. V. Cuniliati hic.

§. 27. Sed triplex adhibenda eſt cautio. Prima, ut *intereſſe* ab initio in pactum deducatur. Fieri enim poteſt, ut mutuatarius hoc onus declinet, & ſibi aliunde melius provideat. Hinc mutuator ſi neglecta præmonitione aut lucrum amittat, aut damnum ſentiat, nihil exigere in auctarium poteſt. *Debebat ſibi caviſſe* ait D. Thomas (*a*). Altera eſt, ut non exigatur totum lucrum, ſed pro ratione ſpei, deductis expenſis, arbitrio prudentum. Lucrum enim ſperatum minoris, quam præſens eſt, *quum multis modis impediri queat* (*b*). Tertia demum eſt, ut damni incurſio, vel lucri præreptio proveniat revera ex mutuo, non ex alia cauſa.

§. 28. De periculo probabili, & proximo amittendæ ſortis, an ſit etiam juſtus titulus, quia mutuatarius homo eſt vel non ſatis notus, vel decoctor, vel dubiæ fidei, mirari ſubeſt a neotericis quibuſdam revocari in dubium; ſed illud magis miror, in hujus tituli juſtitiam multis invehi Concinam (*c*), poſtquam eum legitimum agnovit Congregatio de Propaganda, approbante Innocentio X. (*d*). Niſi nova illa ſe tueri velit, quod non crediderim, Henrici a S. Ignatio (*e*) interpretatione, & dicat decretum illud fuiſſe permiſſivum. Scilicet. Decretum Pontificis in materia morum, quo declarat licere quidquam, & quod obſervari jubet ſub excommunicationis pœna, illud tu permiſſivum dices? Bene habet, quod Henricus, Platellio teſte oculato, mentem mutaverit; namque in diſputatione publica hujus tituli juſtitiam ſolide

[*a*] Q. 3. *de malo* a. 4. [*b*] D. Thom. loc. cit. [*c*] V. Zecch. in diſſert. ſuper Encycl. de uſur. [*d*] V. Cuniliati h. tit. [*e*] Apud Zecch. loc. cit.

ſolide propugnavit, fere etiam demonſtravit. Itaque hic etiam titulus legitimis accenſendus eſt; id quod præſtant Wigandt, Fagnanus, Petrocorienſis, Molina, Lugo, Tournely, Valentia, Salmanticenſes, Remigius Maſchat (*a*) nequidquam contradicentibus aliis cum Toleto, Navarro, Petro Ballerini, Natali Alexandro (*b*).

§. 29. At enim nimis confidenter iſta, reponet quiſpiam. Quid? Legatur Decretalis Gregorii IX. *Naviganti*, & quæ ſequuntur (*c*). Certe ibi qui ſuſcipit in ſe periculum pecuniæ mutuatæ, & hac de cauſa recipit aliquid ultra ſortem, *uſurarium cenſendum* clare aperteque dicitur. Haud ſum neſcius crucem figi interpretibus hac Decretali. Alii irrepſiſſe mendum, & omiſſam particulam negantem, idque ex ipſo contextu ſatis liquere; namque continuo additur: *ille quoque* &c. Alii alia. Veneratur Zecchius tantorum hominum auctoritatem (*d*); ſed negat omiſſam particulam; negat Pontificis mentem Auctores iſtos ſatis aſſequutos eſſe. Quonam vero argumento? Audi. D. Raymundus Decretalium compilator in Summa, quam inſcripſit *de Pœnitentia*, & quam poſt collectas Decretales, Bollando teſte, magis expolivit, eiſdem verbis, quibus Gregorius, uſuræ damnat eum, qui naviganti dedit pecuniam mutuam ea mente, qua ſuperius dictum eſt. Itaque germanam interpretationem illam eſſe putat, quam exhibet ibidem D. Raymundus, nimirum non intelligendum id eſſe de periculo facti, ſed de periculo juris. Nam propoſito caſu poſt illa verba *ſuſcipit in ſe periculum* ſubjungit continuo, ideſt *ſi pecuniam, vel merces inde*

(*a*) H. tit. reliquos V. apud Ligor. de mutuo. (*b*) Apud eumdem. (*c*) H. tit. (*d*) Loc. cit.

inde emptas portaverit ſalvas, aliter non teneatur ſibi etiam de ſorte. Quin & illud obſervari vult idem Zecchius, non dicere Pontificem, ejuſmodi mutuatorem uſurarium *eſſe*, ſed *cenſendum*. In cauſa vero fuiſſe; quia, permiſſo tunc temporis nautico fænore, præſumebatur mens contrahentium reſpicere has leges, & quærere uſuras illas, quæ ratione periculi vehementer augebantur. Quis enim neſciat, quæ de uſuris centeſimis, & beſſalibus a Juſtiniano hoc titulo præſcripta ſunt? Confer Honoratum Leotardi (*a*): ut proinde non deſint Auctores graviſſimi, qui minime uſurarium eum putent, ſiquis hoc tempore, in quo nauticum illud fœnus reprobatum eſt, ſuſciperet in ſe periculum juris; quum ceſſet uſuræ præſumptio. Hæc Zecchius & erudite & graviter.

§. 30. Sequitur titulus alter, qui probatus etiam haberi ſolet, videlicet conventio pœnalis ob culpabilem debitoris moram. Auctarium ex hoc titulo acceptum dicitur uſura moratoria. Sane exactio pœnæ conventionalis ab utroque jure in contractibus probata eſt. Illud cavendum, ne ſit immoderata, inſpiciendumque, an moroſus debitor vere in culpa fuerit, exacto competenti tempore. Prætermitto titulum alium Principis legem ob bonum publicum. Eum quia probaverat Pichler (*b*), id quod etiam præſtitere Doctores alii (*c*), inofficioſis conviciis, quod certe nollem, a Concina exceptus eſt. Modeſtius, &, ut decet Theologum, in argumento iſto verſatur Remigius Maſchat a S. Eraſmo: nitide proponit quæſtionis ſtatum; quibus argumentis utantur hujus ſententiæ patroni, quid-

(*a*) Lib. ſingul. de uſur. (*b*) H. tit. (*c*) Apud Zecch. loc. cit.

quidnam objectis reſpondeant, explicat ſumma fide. Siquis vero ex me quærat, quidnam ſentiam de controverſo hoc titulo, paucis dicam. Ego quidem non dubito, quin Princeps ob bonum publicum dominia transferre poſſit; atque iſtud ita demonſtratur præſcriptionis exemplo, ut nihil ſupra. Sed dominiorum translatio occaſione mutui eſt ratio (ni me omnia fallunt) ſatis inuſitata, & quam fortaſſe nullus inivit Princeps ſaltem per Statutum generale. Novi alios aliter ſentire: quare nollem ex eorum numero eſſe, quibus nihil rectum, niſi quod ipſi putant. Sed hæc hactenus.

§. 31. Quorum omnium clauſula illa ſit: Quicumque titulus in aliis conventionibus legitimus habetur ad percipiendum emolumentum ultra negotii, de quo agitur, obligationem, juſtus etiam ac legitimus in mutuo cenſendus eſt. Nam quæcumque nova obligatio, quodcumque novum onus, quod pretio æſtimari poſſit, pretio etiam compenſandum eſt. Sed non ſemel latet anguis in herba; atque fucatos & ementitos titulos ad *palliandas* uſuras, ſic enim ajunt, veris legitimiſque accenſeri videas. Alius obtendit obligationem non repetendi, alius incommodum carendi re mutuata, alii alia. Verum *nolite errare*, reſpondet his omnibus D. Hieronymus ex Apoſtoli ſententia, *Deus non irridetur. Scriptura omnis rei aufert ſuperabundantiam, ut plus non recipias, quam dediſti.* Doletque quoſdam non intelligere, *uſuram appellari, quidquid illud eſt, ſi ab eo quod dederint, plus acceperint* (a). Ut jure merito Alex. VII. & Innoc. XI., quo perſonatis hujuſmodi titulis larvam eriperent, ille confixerit propoſitionem 42., quæ dicebat

(a) In Ezechiel.

dicebat licitum auctarium ob obligationem *non repetendi ſortem uſque ad certum tempus ;* iſte damnaverit aliam numero etiam 42, in qua habebatur licere quidquam ultra ſortem accipere non quaſi debitum ex juſtitia, ſed *tanquam ex gratitudine, & liberalitate debitum*. Utrumque ementitum titulum prædamnaverat D. Thomas. Priorem quidem quæſt. 78. a. 1. ad 2. ubi de eo diſſerens, qui carius *vendidit res ſuas, quam ſit juſtum pretium*, propterea quod *de pecunia ſolvenda emptorem expectat*, hæc ſubjungit: *quidquid ultra juſtum pretium pro ejuſmodi expectatione exigitur, eſt quaſi pretium mutui, quod pertinet ad rationem uſuræ. Perinde enim eſt, ac ſi pecuniam daret mutuam: quia hujus expectatio pretii ſolvendi habet rationem virtualis mutui*. Quod pro eo eſt, ac ſi diceret: quandoquidem auctarium ſupra ſortem ob ſolam reſtitutionis dilationem uſura eſt; ſimili labe inficitur etiam ille, qui pretium auget rei ad creditum venditæ pro ſola expectatione ſolutionis: hæc enim conventio inſtar mutui eſt. Poſteriorem vero prædamnatam a D. Thoma ſatis liquet ex art. 2. *Si vero accepiſſet aliquid hujuſmodi, non quaſi exigens, nec quaſi ex aliqua obligatione tacita, vel expreſſa, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat*. Nihil ergo ſecundum D. Thomam exigi poteſt *quaſi ex aliqua obligatione debitum*. Ex quo conſequitur, ut ſiquid ſive ex gratitudine, ſive ex liberalitate debitum exigas, uſura ſit.

§. 32. Verum novus hic Proteus *formas ſe vertit in omnes*. Vident, qui lucris inhiant, auctarium vi ſolius mutui uſuram eſſe: hanc non ignorant & jure naturæ, & Divino, & Canonico eſſe prohibitam. Neque ipſis ea mens eſt, ut probare

velint errorem ſive Græcorum (*a*), ſive Albanenſium (*b*), qui putabant uſuras nullo prohiberi jure. Illos etiam minime audiunt, qui Carolum Molinæum ſecuti licitas volunt uſuras moderatas. Quid definierit Viennenſe Concilium (*c*), quid jam olim Nicænum, quod uſurarios *divini præcepti oblitos* dicit (*d*), probe novere. Philoſophum, Platonem, Tullium (*e*), & Ethnicos alios ſolo lumine naturæ ductos uſuras damnaſſe ſatis ſuperque compertum ipſis, atque exploratum eſt. Quin & Hebræis *permiſſum* dumtaxat fœnerari alienis, ut averterentur majora mala, didicerunt ex D. Thoma (*f*), Euſebio Cæſarienſi (*g*), Joſepho (*h*), aliiſque, quos dabit Sotus (*i*).

§. 33. Sed urget amor lucri. Quid ergo? Negligatur mutuum, in quo nec arari, nec ſeri poteſt: conventionibus aliis non adeo infæcundis lucrum captandum eſt. Præclare enimvero, ſi modo conventiones iſtæ re quidem ipſa a mutuo diſtinctæ ſint. Sæpiſſime tamen differunt nomine tenus. Compendio rem agam. Itaque latet uſura ſub ficto nomine depoſiti, ideſt illius contractus gratuiti, quo traditur quidquam mobile ea lege, ut idem numero deponenti reſtituatur. Nam quandoque actum eſt, ut res maxime fungibilis reddatur, & præterea quidquam amplius, ſi depoſitarius uti velit, totum fœneratium eſt. Recte Cujacius (*k*) rem, ait, expendendam eſſe, non verba. Aliud agitur, aliud dicitur; & ſub inani nomine depo-

(*a*) Apud Guidon. de hæreſib. (*b*) Apud Prateolum de vit. hæret. (*c*) Clement. unic. de uſur. (*d*) Canon. 18. (*e*) Idipſum teſtatur Genuenſis §. 5. (*f*) Ad 2. (*g*) 8. Præpar. Evang. (*h*) 4. Antiquit. (*i*) Lib. 6. q. 1. (*K*) In L. *Lucius* ad Papinian.

depoſiti agitur verum mutuum cum uſura (*a*). Deinde etiam contegitur uſura honeſto pignoris vocabulo. Eſt vero pignus contractus, in quo res creditori traditur in ſecuritatem crediti, ut, ſoluto debito, eadem ſpecie reddatur. Quare ex contractu pignoris non transfertur uſus tanquam in commodato, & locato; ſed ſola rei poſſeſſio, & cuſtodia (*b*). Hinc ſi conventum fuerit, ut creditor utatur pignore, donec ſolvatur debitum, quæ conventio dicitur *antichriſis*, vulgo *a godere*; mutato dumtaxat nomine fit verum mutuum cum uſura, quam damnavit Concilium Lateranenſe ſub Alex. III. Quod ſi hac lege non tenetur pignus dotale (*c*), in cauſa eſt, quia ejuſdem fructus doti ſubſtituuntur. Hanc marito dandam ad ferenda matrimonii onera, explorata res eſt. Atqui onus & exhibendæ uxoris, & alendæ familiæ, promiſſione dotis non ſecuta, nequaquam debitum eſt (*d*): ut proinde æquiſſimum viſum fuerit, ut, dote non numerata, poſſit maritus pignore uti fruique. Sed quæ de pignore dotali ſeparatim conſtituta ſunt, perperam extenderentur ad quodcumque pignus. Equidem haud ſum neſcius, antichriſin licere per leges civiles; ſed ut ſæpe alias, ſic etiam iſthic jus Civile a Canonico emendatum eſt. Sane correctas, atque emendatas legum Civilium binas centurias, eſt qui proferat Joan. Bapt. a S. Blaſio: ut propterea non ſatis dignum docto homine argumentum ſit, ſi quid jure civili impune fiat, colligere continuo licite idipſum atque honeſte fieri.

§. 34. Utinam iſta perpendiſſet Genuenſis (*e*),

 qui

(*a*) V. L. 26. D. Depoſit. (*b*) Inſtit. h. tit. (*c*) Cap. 17. de uſuris. (*d*) L. ult. Cod. ad Senat. Conſult. Vellejan. (*e*) Loc. cit.

Digitized by Google

qui quum animo contemplaretur ſolum immoderatas uſuras a lege civili reprobatas eſſe, per eamdem vero *ubique gentium*. (Ait Genuenſis, ſed nimis confidenter. In ſola Gallia uſuræ ad unam omnes legibus Regni prohibitæ ſunt. Certe Ludovici Pii, S. Ludovici, Philippi IV., Ludovici XII., Caroli IX., Henrici III., &c. Clariora edicta ſunt, quam ut cavillatione aliqua offuſcari queant) licere moderatas, quod dicitur *intereſſe legitimum*; in ſuſpicionem venit, ne forte ſubeſſet juſta aliqua cauſa omnibus cognita & aperta, quæ uſuram purgaret vitio; aut ne Philoſophorum argumenta, quæ uſuras damnant, non ſatis idonea fuerint, quibus ſuam illi legislatoribus ſuadere doctrinam poſſent. Nos iſta brevi præcidimus. Negamus igitur, ullam non modo fuiſſe, ſed potuiſſe omnino ſubeſſe cauſam, quæ uſuram, ideſt lucrum ex mutuo, licitum efficeret: quin & ſubjungimus, quidquid illud fuerit pretio æſtimabile, quod ex mutuo capitur ultra ſortem, quantumvis modicum fuerit, juri naturæ, divino, & Canonico repugnare. Volumus deinde cum D. Thoma, ſi quando *uſuras lex humana conceſſit* (conceſſit autem ſæpiſſime, quod fatemur), non id feciſſe, *quaſi exiſtimaret eſſe ſecundum juſtitiam*, *ſed ne impedirentur utilitates multorum* (*a*). Quæ tanti Doctoris interpretatio neſcio, an adverſario noſtro palatum pungat; illud certe ſcio, niſi eidem acquieſcat, parum defore, quin etiam ſuſpicetur, ne forte ſubſit quædam juſta cauſa, quæ meretricium honeſtum reddat, quum ſane, qua eſt eruditione, ignorare nequeat, iſtud etiam per leges civiles eſſe permiſſum.

§. 35. At

(*a*) Q. 78. a. 1. ad 3.

§. 35. At Philoſophus eo argumento utebatur, quo fere etiam Scholæ ſolent, ſcilicet pecuniam eſſe per ſe infæcundam. Hoc autem, pergit adverſarius, eſt purus putus paralogiſmus. Neque enim ex mutuata pecunia quæritur ejuſdem fructus: minime id quidem. Quod exigitur, pretium illius commodi eſt, quod ex pecunia mutuata provenit mutuatario. Jam illud ergo nobis aſſentitur, pecuniam per ſe eſſe infæcundam. Reſtat, ut videamus de pecuniæ commodo (*a*). Vellem quidem, ut adverſarius, niſi moleſtum futurum ſit, roganti reſponderet. Quæro abs te, dum traditur res mutua, transferturne dominium ejuſdem in mutuatarium? Dabit: id enim legibus edocemur. Conſule §. 24. Rurſus quæro, translato rei dominio, ad quem demum ſpectat ejuſdem commodum? Dicet, credo, ad eum, qui rei dominus eſt. Conſule §. 17. Jam illud urgeo: Fierine poteſt, ut des Titio pecuniam mutuam, commodum vero ipſius penes te retineas? Vide, quid reſpondeas: ego certe negarem. Nam ſi vini, quod mutuum dederim, commodum retineam, poſſum eodem uti, adeoque & ipſum potare ſine cujuſdam injuria: interim qui mutuum acceperit, *fugientia captabit pocula*, quod eſt in fabula. Quemadmodum ergo in vino, ſic etiam in pecunia mutua uſus non ſeparatur a dominio; ac propterea idem eſt fieri pecuniæ dominum, ac poſſe abuti, ideſt abſumere. Multa ibi adverſarius congerit de locatione, cujus exemplum perpetuo urget. Sed, pace

(*a*) Non poſſum non vehementer mirari Molinæum, & Salmaſium imponere potuiſſe Genuenſi, viro alioquin Catholico, & docto; quum vel ipſi Heterodoxi rationem è commodo petitam exſufflaverint.

Digitized by Google

ce ſua dixerim, extra chorum. Nolim ergo ut confundat, quæ rite ſeponenda ſunt. Etenim in locatione rei dominium eſt penes locatorem; uſus, utilitas, commodum conductoris eſt, qui, exacto locationis tempore, rem numero eamdem, eamdem navem, eaſdem ædes debet locatori reſtituere. Propterea ut res aliæ omnes, quæ in commercio ſunt, locari poſſint, at non illæ, quæ uſu conſumuntur (*a*). Secus res habet in mutuo. Nam primum (ſæpe dixi, ſed dicendum eſt ſæpius) transfertur rei dominium; deinde non eſt reſtituenda ſpecies eadem, ſed quantitas, ideſt tantumdem; tertio ſimul cum re transfertur rei commodum & utilitas; poſtremo & res, & commodum rei, quemadmodum in venditione, ſic etiam in mutuo una eademque compenſatione æſtimantur. Sed quid ego plura in re manifeſta iis etiam, qui jus civile vel e limine ſalutarunt?

§. 36. Neque illud jam diſputo, quanta, & qualis ſit obligatio dandi mutuum. Novi eſſe beneficium; novi ad dandum mutuum teneri nos ſæpius charitatis lege, interdum minime teneri. Neque aliud reſponderent coacti in Synodum Patres, quos adverſarius rogare ſententiam vellet. Sunt hæc doctrinæ morum prima rudimenta. Quin & illud novi Lucæ cap. 6. Chriſtum Dominum id in primis velle, ut omnibus benigne faciamus, cum iis a quibus ſperamus fore, ut beneficium beneficio rependant, tum etiam iis, a quibus nihil hujuſmodi ſperari poteſt. Certe eo ſpectat Salvatoris hortatio, ut commendet benevolentiam, miſericordiam, charitatem erga omnes omnino cum bonos, tum improbos; atque ita mutuum concedatur,

non

(*a*) L. 3. §. ult. D. *Commod.*

non ut aucupemus hoc beneficio humanam gratiam, ſed ut imitemur miſericordem erga omnes Deum, a quo benefactorum præmium ſperandum eſt. Ita D. Ambroſius ad hunc locum, D. Thomas, Calmetus, alii. Quod ſi Urbanus III. (*a*), ipſumque imitati Theologi producant hoc teſtimonium, ut uſuras damnent, merito id faciunt, dum argumento utuntur, uti ajunt, a minori ad majus (*b*).

§. 37. Verum non ego iſthic hæc diſputo, quæ in aperto ſunt. Illud contendo, in pecunia mutuata non eſſe locum locationi, qualem adverſarius fingit. At, inquit, quando pecunia datur mutua non ex charitatis lege, ſed alia de cauſa, non jam illa mutui datio, ſed pecuniæ locatio eſt. Rectius dixiſſes pecuniæ *locatio dicitur*. Hoc enim Theologi nunquam ferent, quum ſit verum mutuum, uti ſatis ſuperque confectum eſt, tamen ad palliandas uſuras fingi locationem (*c*). Niſi velis imprudentiſſime feciſſe non modo Theologos, qui in hac doctrina aſſerenda cum D. Thoma multi ſunt, ſed illos etiam Pontifices, qui theſes, quas ſuperius diximus, diris devovere. Quid enim? Si quis eo nomine auctarium velit, quod privetur ad certum tempus pecuniæ commodo, a Pontificibus uſuræ damnatur, & ſententiæ, quæ id licitum tuetur, inuritur infamis nota. Sane ſi commodum, quod alteri conceditur, pretio quodam ſupra ſortem æſtimari poteſt, eſſet etiam ſimili pretio æſtimandum incommodum, quod oritur ex ſolutionis dilatione. Contrarium nihilominus definitum eſt.

[*a*] Cap. *Conſuluit* de uſur. [*b*] V. Aragón. in cit. q. 78. [*c*] V. Bened. XIV. de Synod. lib. 10. ubi plura ad hanc rem, pro vera Eccleſiæ doctrina.

Cur vero Pontifices non diſtinxere duo illa, quæ diſtinguenda contendit adverſarius? Si mutuum datum fuerit liberaliter, ut decet hominem miſericordem, charitate urgente, auctarium ſupra ſortem uſura eſt; ſin alia de cauſa, nulla erit uſura, quia non jam mutuum, ſed locatio eſt. Verum nugæ iſtæ ſunt, quas ignorat Eccleſiæ doctrina: quum in eo poſita uſura ſit, teſtante Lambertino (a), *quod aurum naſcatur ex auro;* oritur autem, quando accipitur auctarium, hujus tamen accipiendi nulla cauſa eſt præter ipſam pecuniæ dationem. An autem iſta mutua data ſit ex charitatis lege, an alia de cauſa, perinde eſt.

§. 38. At non hoc ſolum contendit adverſarius. Audet aliquid majus: & quoniam Deuteron. 15. & 23. habetur lex illa *Non fæneraberis fratri tuo pauperi*, *fæneraberis alieno*, interpretem agens ſic eam exponit, ut ex permiſſione Hebræis facta fœnerandi alienigenis, colligendum putet, fœnus non eſſe juri naturæ contrarium: alioquin nunquam a Deo permittendum fuiſſe, qui jus naturæ abolere nequeat. At nulla ibi ad hanc interpretationem firmandam auctoritas Patrum: omnia dicuntur ad arbitrium. Itaque præſtat audire Doctorem Maximum, qui in Ezechielis loc. cit., ubi univerſim juſtum Deus eum appellat, qui *ad uſuram non commodaverit*, *& amplius non accepit;* mortis vero reum pronunciat *ad uſuram dantem*, *& amplius accipientem; quomodo*, inquit, *dicitur fratri tuo non fœnerabis*, *alieno autem fœnerabis? Sed vide profectum. In principio legis a fratribus tantum fœnus tollitur*, *in Propheta ab omnibus uſura prohibetur*. Qua Doctoris Maximi interpretatione in medium pro-

[a] 14. de Synod.

producta, illud ab adverſario concedendum eſt, ſi non jure naturæ, certe jure divino uſuram prohibitam eſſe. Quod ſi poſtremum iſtud dandum eſt; neque illud negari poteſt, qui fœneratur, ſive urgente charitate ad dandum mutuum, ſive alia de cauſa, quocumque ſe vertat, uſuræ crimen effugere non poſſe. Sed ſtultus ego, qui crediderim D. Hieronymum dixiſſe, quæ videtur dicere. Alia ipſi, alia cæteris Patribus mens eſt: non id volunt, quod videntur velle, ſi fides Genuenſi. Verum jam nimis multa pro vindicanda Theologorum, & Juriſperitorum primæ notæ, ſive mavis, Eccleſiæ ſententia.

§. 39. Illa obſcurior controverſia, an in mutuo pecuniario nummorum corpus, an potiſſimum æſtimatio inſpicienda ſit. Quum enim Mævius negotiator dediſſet Aquilio centum aureos juſti ponderis, deinde vero aureorum æſtimatio Principis lege imminuta eſſet; reddenti poſtea Aquilio totidem numero aureos, nihil præterea, obſtabat Mævius, negans ſibi dari tantumdem, ac debuit pro ratione mutui. Contra urgebat Aquilius ſe non obligandum ultra, quam acceperit: centum accepiſſe, centum ſolvere: injuſtum vero Mævium, qui velit, ut quidquam amplius adjiciatur. Conſuluntur Juriſperiti, qui jubent Mævium adquieſcere: hic autem tanquam ab iniqua ſententia Theologos appellat. Eſt enimvero Mævii provocatio legitima, quum Theologica ſcientia cæteris omnibus ſublimior ſit (*a*). Eadem nec *fruſtratoria*, nec *levis* eſt: quinimmo graviſſimis innixam rationibus putant Theologi innumeri cum Molina, Soto, Sylveſtro, Lugone, Toleto, Leſſio: ut proinde nec ſit

[*a*] V. D. Thom. in princip. Oper. contr. gent.

ſit repellendus Mævius, neque Aquilio liceat exceptione uti *rei judicatæ*; ſed, interpoſita appellatione, ſuſpendenda ſit Juriſconſultorum ſententia, ut res tota in Theologico foro, niſi forte ampliandum fuerit, definiatur.

§. 40. Primum omnium extra dubium eſt, inquiunt Theologi, nec diſſentiunt Juriſperiti (*a*), ſi valoris immutatio fuiſſet ab iis duobus conſiderata, initumque pactum, ut totidem omnino aurei redderentur, nec plus, nec minus, ſive aucta, ſive imminuta eſſet nummorum æſtimatio; non potuiſſe tunc Mævium tanquam de iniqua ſolutione cum adverſario expoſtulare. Fuiſſet enim pactum legitimum, quod ſervandum eſt. At nihil prorſus de incremento, vel decremento aureorum cogitavit Mævius, nihil omnino Aquilius: illud dumtaxat actum eſt, ut darentur per contractum mutui centum aurei juſti ponderis. Porro in pecunia duo diſtinguenda ſunt, nummorum corpus, atque eorumdem legitima æſtimatio. Ex his in humano commercio, niſi aliter conventum ſit, legitimæ æſtimationis, quæ dicitur *valor extrinſecus*, ratio in primis habenda eſt. Qui ſecus faciunt, & ſolum conſiderandum putant nummorum corpus, uti fere evenit in aliis fungibilibus, videntur non ſatis animadvertere quantum intereſt. Equidem cum in fungibilibus aliis, puta vinum, frumentum, tum etiam in pecunia utilitas quæritur ad humanos uſus: ſed illud intereſt, quod fungibilia alia ſuo ipſorum corpore, & quantitate inſerviant hominum commodis; pecunia vero non ipſa ſui ſubſtantia inſerviat, ſed æſtimatione; quæ ſi

(*a*) V. Anton. Gomez 2. Variar. & Leotardi lib. ſing. de uſur.

ſi major fuerit, capitur major utilitas, ſin autem minor, minor etiam proveniat utilitas neceſſe eſt. Fac Mævium, antequam mutuos daret, potuiſſe centum illis aureis ea comparare, quæ ſufficerent alendæ familiæ integrum annum. Det illos mutuos, qui dum reſtituuntur, minoris ſint; Non illa amplius comparare poteſt, quæ certo potuiſſet, ſi non dediſſet mutuos. Damnum ergo patitur ex ratione mutui, niſi tantumdem in valore extrinſeco recipiat. Injuſtus igitur Aquilius, qui non ſolvit tantumdem.

§. 41. At enim contraria ſententia legum auctoritate munita eſt. Miraremur, niſi Juriſperiti ex legum auctoritate agerent, quibus turpiſſimum eſt ſine lege loqui. Sed quas nobis leges objiciunt? Puto legem 80. D. de ſolut., quam Leotardi mirari ſe ait a nemine hactenus animadverſam: deinde legem 1. D., & 9. Cod. de ſolut., tum 41. D. de uſur., & 1. de compenſ., poſtremo legem *Rogaſti* D. de reb. credit. Recita verba, *Prout quodque contractum eſt, ita & ſolvi debet; ut quum re contraximus, re ſolvi debeat, veluti quum mutuum dedimus.* Iterum: *Debitor obligari non poteſt ultra quam acceperit.* Bene narras: & nos ita fatemur. Neque enim negamus aut re ſolvendum, quum re contractum eſt, aut ſolvendum totum, quod debetur. Illud negamus, ſolutum fuiſſe Mævio, quantum ipſi debebatur; atque ut negemus, facit eadem lex, quæ modo recitata eſt.

§. 42. Non adquieſcunt, & nobis objiciunt auctoritatem Romanæ Rotæ, in qua ſæpius juxta ſententiam huic noſtræ oppoſitam fuiſſe judicatum ſcribit Sigiſmundus Scaccia (*a*). Eſto: fuerit judicatum.

(*a*) De commerc. Gloſſ. 5.

catum. Quid inde vero? Nam primum ea auctoritate non adeo commoventur Theologi, ut a ſententia diſcedant; qui noverint alias atque alias diverſos judices in eadem Rota ſententias tuliſſe. Deinde cur de auctoritate ſolliciti ſint, poſtquam ratio hujus ipſorum ſententiæ aperta, atque ineluctabilis eſt?

§. 43. Verum, inquiunt, hanc Theologorum opinionem tuetur Molinæus. Nobis curæ non eſt, quid Carolus Molinæus ſenſerit: nolumus tamen, ut noceat optimæ Mævii cauſæ mali illius patroni indoles. Mævio ſuffragatur æquitatis ratio. De cætero Molinæi teſtimonium adeo non curamus, ut neque ex ipſo jure Canonico, unde alii ſolent, teſtimonia a nobis producta ſint. Equidem nonnulli cum Haulnoldo (*a*) producunt teſtimonia Innoc. III., & Gregorii IX., quæ nobis non videntur ſatis firma. Hinc ratione potius rem totam definiendam duximus. Atqui propoſita a nobis ratio ea eſt, quæ non facile convelli queat. Quapropter Juriſconſultorum pro Aquilio ſententia corrigenda eſt, atque iſte damnandus, ut tantum adjiciat, quantum opus ſit, ut priſtinus aureorum valor exæquetur. Atque ita ſive declarant, ſive definiunt doctiſſimi Theologi Salmanticenſes (*b*), in quorum ſententiam itum eſt ab aliis fere omnibus Theologis.

Hæc habui de ratione altera adquirendi dominii quæ dicerem. Reliquum eſt, ut de poſtrema alia, quæ ſita eſt in conventionibus gratuitis, diſſeramus.

DIS-

(*a*) Tract. 9. controv. 8. (*b*) Cap. 3. n. 73.

DISSERTATIO POSTREMA.

De ratione comparandi dominii conventionibus gratuitis.

§. 1. QUod ſub initium hujus noſtræ exercitationis præfati ſumus, injuria nonnullos legum notitiam Theologis ereptam velle; idipſum ex conventionibus gratuitis adeo confirmari poteſt, ut ſecus exiſtimandi omnis impoſterum occaſio præripiatur. Multa enim hic de Teſtamentorum vi, de ſucceſſione hæreditaria, de legatis, de codicillis, multa de donationibus cum mortis cauſa, tum inter vivos, multa etiam de promiſſionibus diſcutienda ſunt. Eadem vero definiri, niſi ex legum auctoritate, vix, ac ne vix quidem poſſunt. Niſi illud etiam quiſquam voluerit, dum Theologi ſententiam rogantur circa conventionem aliquam gratuitam, tacendum ipſis omnino, & ſiquid fuerit injuſte actum, ſiquid proximo per injuriam ereptum, ſi fides violata, ſi donatio non legitime revocata fuerit; ipſorum non eſſe maxime in ſacratiori foro alios docere. Quod qui dixerit, næ ille ſatis oſtendet, maxima ſe in officiorum, quibus quiſque tenetur, ignoratione verſari. Nihil igitur prohibet, quominus uti in ſuperioribus, ſic etiam in hac poſtrema diſſertatione utamur civili diſciplina; tantum vero utamur, quantum ad regendas pacandaſque conſcientias opus fuerit; maxime autem opus erit, quandoque quidnam liceat, quid non, quidnam ſalva honeſtate,

atque illæſa juſtitia fieri queat, quidnam ſecus ex legum præſcripto conſtituendum ſit. Sed jam contento curſu ad rem noſtram veniamus.

§. 2. E conventionibus gratuitis, quarum ope comparatur plenum dominium, præcipua lateque patens eſt hæreditatis aditio. Sed quum hæreditatem capere nemo unus poſſit, niſi qui vel hæres inſtitutus ſit, vel ſuccedat ab inteſtato; inſtitutio autem hæredis medio teſtamento fiat, cujus etiam anima eſt: idcirco de tota re teſtamentaria quædam quaſi principia attingam, atque ea dicam, quæ in conſcientiæ foro uſui futura ſunt. Neque enim eſt inſtituto noſtro ſive neceſſarium, ſive utile teſtamentarias leges jam inde a comitiis calatis, & jure duodecim tabularum ad Juſtiniani uſque tempora retexere, & de teſtamento per æs, & libram, ex edicto Prætoris, ex Conſtitutionibus Principum; tum de Agnatorum Cognatorumque ſucceſſionibus; præterea de antiqua inofficioſi querela; demum de multiplici legatorum diſcrimine per vindicationem, damnationem, perceptionem multa erudite magis, quam utiliter hiſtorico more recenſere: præſertim quum ſaniori conſilio immenſam legum ac Conſtitutionum ſylvam ſibi Juſtinianus circumcidendam, atque amputandam duxerit, & reſecatis ſuperfluis, utilioribus nonnullis additis jus totum in meliorem ordinem digeſtum nobis exhibuerit.

§. 3. Itaque ex legibus teſtamentum ita definimus, ut ſit *voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit* (*a*). *Voluntatis*, inquam, *noſtræ*; nam teſtamenta ex alieno arbi-

(*a*) L. 1. D. *qui teſtam. fac. poſs.*

arbitrio pendere non debent (*a*). Erit autem juſta ſententia, ſi legitima fuerit, quam ſolemnem Auctores dicunt. Sed alia eſt ſolemnitas ipſi intrinſeca & innata, alia extrinſeca, & adventitia; quarum prior in hæredis inſtitutione poſita eſt, poſterior vero in teſtium præſentia, & ſiqua ſunt alia pro vario locorum more. Hæredis autem inſtitutio, ideſt *ſubrogatio in univerſum jus Teſtatoris* adeo neceſſaria eſt, ut ſine illa teſtamentum nequeat conſiſtere: eſt enim hæc ſubrogatio caput, baſis, fundamentum teſtamenti (*b*), eſt peculiaris nota, qua teſtamentum diſtinguitur ab aliis ultimis voluntatibus, puta codicillum, legatum, & donationem mortis cauſa.

§. 4. Porro vel ſcripto teſtamur, vel nuncupatione. Et ſiquidem teſtamentum ſcripto fiat, a teſtatore ipſo ſcribendi non ignaro, aut ſi ſcribere neſciat, ab uno aliquo ex iis, qui teſtes fieri queunt, tabulæ obſignandæ ſunt. Erunt vero præter obſignatorem teſtem idonei alii ſeptem omnino vocati rogatique, qui teſtatorem videant, tabulas ſubſcribant, ſignent. Idoneos dixi; namque mulier, impubes, ſervus, furioſus, prodigus, inteſtabilis, & quicumque in teſtatoris, ſive hæredis poteſtate ſunt, inde excluduntur per leges, ne quid vitii, vel fraudis ſubrepat. Eadem tenetur lege teſtamentum nuncupativum. Illud intereſt, quod nulla hic interveniat ſive ſubſcriptio, ſive obſignatio: una ſufficit teſtatoris vox, quam teſtes, qui teſtatorem vident, & audiant, & intelligant. Quod ſi evenerit, ut quod auditum eſt, memoriæ, vel ſecuritatis cauſa in tabulas referatur, non propterea teſtamentum evadit ſcriptum, ſed manet nuncupa-

(*a*) L. 32. D. de hæred. inſtit. (*b*) Inſtit. de legat.

cupativum: quale ſaltem eſſe præſumi debet, ſi quando ſuboriatur dubitatio, clauſumne teſtator, an apertum, uti ajunt, teſtamentum, quod reperitur deſtitutum ſolemnitate legitima, conficiendum voluerit. Notum illud: *Quod non valet, ut agitur, valet, uti valere poteſt*.

§. 5. Sed non omnia teſtamenta eodem jure cenſeri debent. Sunt enim nonnulla privilegiata, quale primum omnium eſt teſtamentum pium, ſive ad pias cauſas, nimirum quæ cedunt in divinum cultum, vel in pauperum ſolatium; deinde teſtamentum militare; tertio teſtamentum inter liberos, quod aut a patre, aut a matre, aut aſcendentium aliquo in linea recta inter liberos, ſive nepotes conditum eſt; poſtremo teſtamentum ruſticorum, tempore peſtis, & publicum. Et hæc quidem omnia ſunt e medio jure (*a*). Quare minime dubitandum eſt, quin incidant ſæpe tempora, ut teſtamentum ad profanas cauſas ob defectum ſolemnitatis irritum fiat de jure civili. Illud in deliberationem cadit, liceatne hæredi, qui ejuſmodi imperfecto teſtamento inſtitutus eſt, hæreditatem adire tuta conſcientia, an omnino abſtinere debeat, eamque aliis cedere, qui ſuccedunt ab inteſtato.

§. 6. Major profecto controverſia eſt, quam ut definiri queat ea ratione, quam ex Soto, Bannez, Sanchez proferunt Cabaſſutius, & Ligorius (*b*). Nam ſi dubitatio ſolum exoriretur, dum quiſquam poſſidet, expedita ſine dubio via illa eſt, dirimendi controverſiam, ut poſſeſſori res adjudicetur. Noverant etiam doctiſſimi Auctores alii magnam ineſſe

(*a*) V. L. *Hac conſultiſſima* Cod. h. tit. Inſtit. de teſtam. ordinand. (*b*) Uterque de Teſtam.

ineſſe poſſeſſioni vim, quæ ſi ſola ibi inſpicienda foret, jamdiu nullam, credo, controverſiam haberemus: neque enim putandum eſt ab iiſdem Auctoribus ſalebras in plano quæri. Verum ut expedita via hæc fuerit, capta ab uno aliquo poſſeſſione; at hæreditate nondum adita, dum nemo poſſidet, non ſolum expedita illa non eſt, ſed etiam omnino nulla. Hoc enim quæritur, an decedente teſtatore, qui teſtamentum condidit minus ſolemne, liceat hæredi ſcripto tuta conſcientia hæreditatem adire vi voluntatis ultimæ, quam noverit a legibus negligi, atque nullam haberi. Quemnam ibi locum habeat doctrina de poſſeſſione? Hinc præclariſſimi Theologi, qui rem iſtam ſubtilius examinarunt, alii dixerunt manere obligationem naturalem, ac proinde teſtamentum ita eſſe in foro conſcientiæ validum, ut ejus vi poſſit hæreditas capi ab hærede ſcripto tuta conſcientia: alii docuere omnino irritum in utroque foro. Prioribus aſſenſi ſunt D. Antoninus, Bannez, Sotus (*a*), Julius Clarus, Molina, Anacletus, Leſſius (*b*). Poſteriorum partes ſequuntur Covarr. (*c*), Suarez (*d*), Lugo (*e*). Quibus vero argumentis pugnent diverſarum ſententiarum patroni, facile cuivis eſt ex iis Auctoribus diſcere, qui in argumento iſto pro dignitate verſati ſunt.

§. 7. Mihi quam maxime arridet demonſtrata ab eorum pleriſque, quos priori loco nominavi, Theologis, & Juriſperitis media quædam via, cui etiam videtur Cuniliati (*f*) inſiſtere; ut nimirum valida quidem ſint teſtamenta illa in foro conſcientiæ,

(*a*) Apud Cuniliati de Teſtam. (*b*) V. Pirringh h. tit. & Cabaſſut. ibid. lib. 4. (*c*) In cap. *Cum eſſet* h. tit. (*d*) 5. de leg. (*e*) Diſp. 22. (*f*) Loc. cit.

entiæ, donec a judice invalida pronuncientur: adeoque cum hæres in teſtamento imperfecto inſtitutus, tum etiam legatarius & hæreditatem adire, & accipere legata poſſint pro foro interno, niſi impugnato teſtamento ab iis, qui ſuccedunt ab inteſtato, cogatur ſimul cum hærede legatarius per ſententiam condemnatoriam adempta cedere, atque dimittere: quum judici juxta leges pronuncianti parendum ſit, idque ex vi juris naturæ. Atque hæc quidem ratio dirimendæ hujus controverſiæ illud etiam habet commodi, quod ad conciliandum jus Civile cum Canonico nihil aptius excogitari valeat. Itaque teſtamenta imperfecta ita approbantur a jure Canonico, quod *ultimam voluntatem defuncti omnibus modis ſervandam* dicit (*a*), ut ſalva res maneat juri civili, ſi quando intentetur actio contra inſtitutum hæredem, & ſuus ſit etiam locus iis legibus (*b*), quæ ne fraudes ſubreperent, id quod ſatis proclive eſt, pro infectis habenda eſſe teſtamenta hujuſmodi in proprio ipſarum foro conſtituerunt.

§. 8. Cavendum tamen eſt inſtituto hæredi; ne quia adhærendum ſibi exiſtimat huic noſtræ ſententiæ, ita ſibi licere putet hæreditatem adire, ut dum agitur de ſolvendis legatis, integrum arbitretur oppoſitam opinionem ſequi. Vel enim teſtamentum validum putas, vel invalidum? Validum, inquis. Niſi ergo legata ſolveris, contra conſcientiam ages, qui nolis ea præſtare, quæ ex teſtamento valido præſtanda ſunt. Sin autem velis invalidum dicere, dimittenda hæreditas eſt: neque enim potes tuta conſcientia hæreditatem retinere ex

(*a*) Canon. *Ultima* 13. q. 2. (*b*) *Ex imperf.* Cod. h. tit. Inſtit. *Quib. mod. teſtam. infirm.*

ex teſtamento , vi cujus nullum tibi jus comparatum exiſtimas. Neque eſt , quod probabilitatem objicias. Novi ſententiam eorum , qui cum Suarez , Covarr., Salmant. (*a*) invalidum dicunt teſtamentum illud in utroque foro , haberi ab aliis Auctoribus vere probabilem : quippe quæ innititur gravibus momentis , quæ viros omni exceptione majores , nihil obſtantibus argumentis oppoſitis, perſuadere potuerunt. Sed ut probabilis, ſive mavis probabilior , & probabiliſſima nonnullis opinio illa fuerit, tibi tamen hæc tua probabilis eſſe non poteſt. Cur vero ita ? quia non eadem eſt cauſa. Alia quæſtio eſt , an teſtamentum minus ſolemne ſit invalidum ; atque alia longe diverſa eſt , an adita hæreditate ex teſtamento, quod validum putatum eſt , legata caduca fiant. In priore illa ſi ajentium partes amplecti velis, nihil repugno. Eas tuentur graviſſimi Auctores. At in poſteriori altera qui ajentium partes tueri velit , invenies profecto neminem. Niſi enim legata ſolvantur capta hæreditate , violatur jus certum teſtatoris, qui conventione quadam tacita ita hæreditatem reliquit , ut hæres ſi velit eadem frui , legatorum ſolvendorum oneri ſuccumbat. Neque hæc probabilis opinio , ſed certa ſententia eſt ; quidquid reclamet unus contra omnes Caramuel , qui dum ingenio indulget ſuo , a ratione non ſemel alienus eſt.

§. 9. Hactenus de iis ſolum teſtamentis quæſitum eſt , quæ condita ſunt ad profanas cauſas. Nam teſtamentorum ad cauſas pias , tametſi imperfecta fuerint , dummodo non deſint ea , quæ ſunt juris naturæ , & gentium , ratio omnino diverſa

(*a*) Apud Cabaſs. loc. cit.

verſa eſt. Ea propter ſi de voluntate teſtatoris conſtet per tres duoſve teſtes, valet teſtamentum in utroque foro de jure communi, ſic ſtatuente Alex. III. (*a*). Atque ea eſt ſententia communior, quam tuentur Abb. & Covarr. (*b*). Nulla hic opus eſt hæredis inſtitutione, nulla ſcriptura, voce nulla: quocumque enim nutu voluntas teſtatoris manifeſtetur, ratum teſtamentum eſt. Quinimmo ut in teſtamento ad profanas cauſas, aliiſque ultimis voluntatibus irrita diſpoſitio ſit, ſi in tertii cujuſdam arbitrium conferatur; ſecus tamen evenit in teſtamento ad cauſas pias: atque hanc Auctores exiſtimant ineſſe vim illis Innocentii verbis: *Siquis extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committat, non videatur inteſtatus decedere* (*c*). Propterea teſtamentum ad pias cauſas privilegiatis de jure communi accenſeri ſolet.

§. 10. In eorum etiam numero habetur teſtamentum militare. Sunt enim hujus privilegia quamplurima. Dicam verbo: Solemnitatibus fere omnibus & internis, & externis milites ſoluti ſunt, modo in expeditione verſentur (*d*): in hibernis autem ita obſtringuntur jure communi, ut teſtamentum etiam ab ipſis jure militari conditum depulſo periculo exſpiret; ſi illos excipias veteranos, qui confectis ſtipendiis honeſtam miſſionem impetrant; quorum teſtamenta adhuc intra annum valent. Eſt ergo validum teſtamentum militis in procinctu, quod *in vagina, vel clypeo etiam ſanguine adnotaverit, aut in pulvere inſcripſerit gladio*, ideſt quocumque modo ſcriptum ſit (*e*): ſi autem

(*a*) Cap. *Relatum* 11. h. tit. (*b*) V. Pirringh num. 19. (*c*) Cap. *Cum tibi* h. tit. (*d*) Inſtit. h. tit. (*e*) L. 15. Cod. h. tit.

autem nuncupativum fuerit, duo teſtes ſufficiunt, licet non rogati ſint (*a*).

§. 11. Tertium inter privilegiata habetur teſtamentum inter liberos, quod quidem ſi in tabulas redactum, & a parentibus liberiſque ſubſcriptum fuerit, atque unciæ expreſſæ, in quibus liberi inſtituuntur, nihil requiritur amplius (*b*): ſin autem nuncupativum fuerit, duo teſtes adhibendi ſunt. Accedit quartum teſtamenti privilegiati genus, graſſante peſte, in quo opus non eſt teſtes a lege præſcriptos convenire ſimul; ſatis erit, ſi ſubſcripſerint, tametſi ſeparatim accedant (*c*). Quod ſi ſeptem adeſſe nequeant, rogandi erunt, quo plures inveniri poſſint. Huic affine eſt teſtamentum ruſticorum, ideſt eorum, qui ruri degunt, quo nomine nonnulli etiam nobiles comprehenſos volunt. Atque in iſto quidem ſi plures haberi nequeant, ſufficiunt quinque teſtes, a quibus ſi ſcribere neſciant, & ſigillis careant, impune omittitur ſubſcriptio, & obſignatio. Denique inter privilegiata publicum teſtamentum eſt, quod dicitur *ad acta*, nimirum judici oblatum. Hoc autem omni ſolemnitate deſtitutum eſt (*d*). Quanam vero ratione offerendum ſit, ut valere poſſit, videſis apud Pichler (*e*). Et hæc eſt teſtamentorum indoles de jure communi. Siqua fuerint peculiaria locorum ſtatuta, diligenter inſpicienda ſunt.

§. 12. Teſtamenta vero confici ab iis poſſunt, qui nullo vel naturali, vel poſitivo jure prohibentur, quominus de rebus ſuis diſponant per ultimam voluntatem. Sed prohibentur jure naturæ

(*a*) L. ult. D. de Codicill. (*b*) Novel. 107. (*c*) L. 8. Cod. h. tit. (*d*) L. 19. Cod. h. tit. (*e*) De Teſtam. num. 45.

amentes, furioſi, atque iis comparati prodigi, tum infantes, impuberes, muti & ſurdi ſimul. De cæco illud conſtitutum eſt, ut poſſit hæredem nuncupare, modo per tabellionem adhibitis ſeptem teſtibus nuncupatio excipiatur, vel adhibeatur octavus teſtis. Jure autem poſitivo ob pravos mores, vel infamiæ cauſa arcentur a teſtamentis condendis uſurarius publicus, damnatus ob crimen famoſum, hæreticus non toleratus. Eodem poſitivo jure, ſed alia de cauſa teſtari prohibentur Clerici de beneficialibus ſuperfluis, etiam ad cauſas pias. De uſurario autem publico illud notatum velim, non ea ſolum pœna multari, ut ipſius teſtamentum corruat ipſo jure, niſi vel reſtituerit, vel dederit cautionem idoneam, nimirum pignoratitiam, aut fidejuſſoriam, ſi modo poſſit, ſin minus juratoriam (*a*). Namque arcendus præterea eſt ab altari (*b*), atque ita privandus ſepultura Eccleſiaſtica (*c*), ut qui ſepelire præſumpſerit, ipſo facto anathemati ſubjaceat (*d*). Adde infamiam ipſo jure (*e*).

§. 13. Quod ſi tot graviſſimis pœnis judicavit Eccleſia uſuram coercendam, ſi tantum in Æcumenicis Conciliis elaboratum eſt, ut peſtifera hæc lues extirparetur; nemo mirabitur Theologos commoveri, ſi quando emendicatis rationibus velit quiſpiam uſuræ labe purgatas conventiones quaſdam, quas unaminis Theologorum conſenſio, quæ ſemper ab Eccleſia in gravioribus cauſis magno in pretio habita eſt (*f*), uſurarias exiſtimavit. In quo

[*a*] Gregor. X. in Conc. Gen. Lugdun. [*b*] Alex. III. in Concil. Lateran. [*c*] Ibid. [*d*] Clement. 1. de Sepult. [*e*] Cap. *Infames* 2. cauſ. 3. [*f*] Certe rejici ſine temeritatis nota non poſſe decernit Canus de locis lib. 8. cap. 4.

quo genere eſſe mutuum pecuniarium cum auctario pro ratione commodi ſatis ſuperque, ut puto, in ſuperiori diſſertatione confectum eſt. At nemo proinde adeo nos ſive difficiles, ſive moroſos credat, ut nullum omnino honeſtum lucrum poſſe ex pecunia capi contendamus.

§. 14. Fatemur enim media pecunia emi poſſe jus ad penſiones annuas per contractum cenſualem, quem licitum declararunt Martinus V. & Caliſtus III., modo obſervetur Bulla S. Pii V., ubi recepta eſt. Licitum etiam fatemur capere lucri aliquid medio contractu Cambii, quem, ut ait prælaudatus Pius V., *neceſſitas*, *&* *publica utilitas induxit*; quin imo commendandos ducimus, qui hanc trajiciendæ pecuniæ rationem excogitarunt, qua effectum eſt, ut fœnus nauticum negligeretur, & negotiatorum commodis melius conſuleretur. Illud cavendum, ne quod ſapienter excogitatum eſt, fiat vitioſum abutentium culpa. Ea propter qui ſapiunt, reprobabunt *Cambium ſiccum*, & illas litteras, quæ vacuæ atque inanes redeunt, unde proceſſerant. Nil hic dicam de lucro quæſito per contractum ſocietatis. Quis enim negotiationem vituperet, qua & propriæ ſuſtentationi, & pauperum indigentiis, & publicæ utilitati conſultum eſt (*a*)?

§. 15. Sed videant & Clerici, & Religioſi, ne quod ſæculi hominibus non interdicitur, ſibi etiam licere exiſtiment. Namque intercedit graviſſima auctoritas Eccleſiæ, cum ſæpe alibi (*b*), tum etiam in Tridentino (*c*). Accedunt Conſtitutiones Pontificum, atque illa in primis Bene-

[*a*] D. Th. q. 77. a. 7. [*b*] Clement. 1. de vit. & honeſt. Clerici. [*c*] Seſs. 22. cap. 1. de Ref.

dicti XIV. (*a*), qua & Prædeceſſorum ſanctiones innovantur, atque extenduntur ad Clericos etiam, qui ſub alieno Laici nomine negotiari velint. Quæ quidem omnia noviſſimis Clementis XIII. Encyclicis confirmata ſunt, & illud amplius definitum, cambium activum eſſe actum veræ & propriæ negotiationis, qui proinde Eccleſiaſticis omnibus vetitus cenſeri debeat. Quod ſi quiſpiam cauſetur aut parentum, aut ſororum indigentiam, conſulat quæ in eiſdem litteris ſapienter conſtituta ſunt. Verum negotiatio ipſa per ſe, & *ſui ratione*, ut ait D. Thomas, *nihil importat vitioſum, aut virtuti contrarium*. Ibi enim expetitur *lucrum non quaſi finis*, *ſed quaſi ſtipendium laboris*.

§. 16. Utrum vero eodem pede metiendus contractus trinus, ut nihil ibi uſurarum latere putandum ſit, accuratius diſcuterem, ſi plus eſſet & otii, & temporis. Hoc unum dicam, tametſi nulla opinioni illi, quæ licitum tuetur contractum trinum ab Apoſtolica Sede inuſta fuerit cenſuræ nota, ut proinde Epiſcopos, ne id faciant, hortetur Benedictus XIV. (*b*); quum tamen ſit plenus periculi, non facile conſulendus contractus iſte: quin imo prudenter facturos Epiſcopos, qui ab eodem ineundo ſubditos ſuos dehortentur, monet idem Benedictus (*c*). Nec quia opinio, quæ tuetur licitum, graviſſimos habet Auctores, atque eamdem celebres Academiæ adjecto calculo confirmarunt, continuo argumentari licet non eſſe periculi plenum. Quapropter conſiderandæ ſunt locorum perſonarumque, ut ajunt, circumſtantiæ, videndumque, an non modo *ſapiat uſurariam pravita-*

(*a*) *Apoſtolicæ ſervitutis* an. 1741. (*b*) De Synod. lib. 10. (*c*) Ibid. cap. 7.

vitatem, id quod ait Sixtus V. in Bulla *Deteſtabilis*; ſed etiam an adſit revera animus uſurarius, qui ut facillime ſubrepet, interdum fortaſſe abeſt. Sed ampliandum eſt. Itaque non quodlibet ex pecunia lucrum damnamus: illud damnamus, quod vel naſcitur ex ipſa pecunia, quæ quum ſterilis ſit, cogitur fætum edere, quem non poteſt; vel capitur ex pecunia in alium conferta, quod perinde eſt, atque ditari ex alieno. Pulchre Hebraicus textus pro felici genio illius linguæ *morſum* uſuram dicit. Quemadmodum enim ſerpens mordet, ſic uſura devorat debitores: maxime vero Anatociſmus, quo efficitur, ut debitor æs alienum in dies augeat, & vel ſuccumbat ſub mole tanta, vel certe verſuram faciat. Verum unde digreſſi ſumus, revertamur.

§. 17. Sequitur ergo, ut de iis dicamus, qui hæredes inſtitui vel poſſunt, vel etiam debent. Duplici hic utimur generali formula. Prima eſt, quaſcumque perſonas poſſe hæredes inſtitui, niſi aliter in jure conſtitutum ſit (*a*). Altera eſt, liberos omnes cujuſque ſexus ſive natos, ſive poſthumos hæredes minimum quoad legitimam inſtituendos, vel nominatim exhæredandos. Liberi ſi deſint, ſuccedunt nepotes, & deſcendentes in recta linea; qui ſi etiam defuerint, ſuccedunt aſcendentes in eadem linea. Cæterum ſi liberorum quiſpiam injuſte vel præteritus, vel exhæredatus fuerit a patre, vel avo paterno, teſtamentum nullum eſt; ſi a matre, vel avo materno, datur eidem actio ad reſcindendum *per querelam inofficioſi* (*b*). Quod ſi emancipatus fuerit, unicum ipſi remedi-

(*a*) Inſtit. h. tit. (*b*) Inſtit. *quib. mod. teſtam. infirm.*

um eſt *poſſeſſoria bonorum petitio* (*a*). Pars vero hæreditatis legitima, nimirum ex bonis relictis, deducto ære alieno, expenſiſque funeris (*b*), ſi liberi non ſint plures quatuor, *triens* eſt, ſive quatuor unciæ; ſin autem plures quatuor, erit *ſemiſſis*, ſive media pars hæreditatis. Idem dictum habe de Nepotibus, qui legitimam capiunt parentum præmortuorum loco: illud tamen intereſt, quod non, ſicut liberi, ſuccedant, uti ajunt, in capita, ſed in ſolas ſtirpes. Verum de unciis, in quas hæreditas tota, quam *aſſem* veteres dixere, dividi ſoleat, conſule Inſtit. h. tit. & Buddæum de Aſſe. Juſta autem ab hæreditate excluſio erit, ſi fiat legitima ex cauſa, nominatim, pure, & in teſtamento: namque medio Codicillo, quemadmodum non poteſt hæreditas dari, ſic neque adimi (*c*). Porro legitimæ cauſæ habentur, ſi filius patrem gravi injuria affecerit, ſi vitæ inſidias inſtruxerit, ſi manus intulerit, ſi vel furioſum neglexerit, vel ab hoſte captum non redemerit, vel pro incluſo in carcerem rogatus non fidejuſſerit, ſi capitalis delicti (præter læſæ majeſtatis crimen) accuſaverit, ſi teſtari volentem impediverit, ſi mimos, hiſtriones ſequatur, invito patre: accedit, ſi filia minorennis, recuſato honeſto connubio, meretricium exerceat.

§. 18. Jam vero cuicumque licita eſt hæreditatis aditio, integra etiam eſt ejuſdem repudiatio. Quod ſi hæredum, qui inſtituti fuerint, unus aliquis hæreditatem repudiet, manet aliis etiam nolentibus jus accreſcendi. Quiſquis autem hæreditatem adierit, ea ſtatim tenetur lege, ut non modo

(*a*) L. 4. Cod. *de lib. præterm.* (*b*) L. 39. D. *de verb. ſignif.* (*c*) Inſtit. de Codicil. & de exhæred.

Digitized by Google

do æs alienum teſtatoris, ſed etiam quamprimum fieri poſſit, ſolvat legata pia, utut fuerint ſupra hæreditatis vires, niſi beneficio Inventarii rite confecti ſe tueri poſſit (*a*). Idcirco data eidem a jure facultas eſt tempuſque deliberandi, ut priuſquam adeat, atque oneribus ſuccumbat, qualis & quanta ſit hæreditas, diligentius inquirat, ſtatuatque deinde, velitne adire, an potius abſtinere.

§. 19. Et quoniam fieri poteſt, ut inſtitutus hæres, vel computatis rationibus, putet ſua intereſſe hæreditatem repudiare, vel ipſam adire alia de cauſa prohibeatur; idcirco conſtitutum eſt, ut in hæredis inſtituti locum alii ſive directe, ſive indirecte vocarentur, quos hæredes ſubſtitutos dicimus. Et illi quidem qui directe ſubſtituuntur, ab ipſo teſtatore hæreditatem accipiunt, nullo intermedio; qui vero indirecte, eam capiunt medio hærede primo, qui ſuo tempore jubetur hæreditatem alteri relinquere. En tibi fideicommiſſum univerſale, quod a legato, ſive fideicommiſſo particulari rite diſtinguendum eſt.

§. 20. Eſt enim legatum donatio quædam a Teſtatore facta, ab hærede præſtanda. Inter legatum vero & donationem inter vivos hoc maxime intereſt, quod legatum uſque ad mortem libere revocari poteſt; eſt enim voluntas ultima *ambulatoria uſque ad vitæ ſupremum exitum* (*b*): ſecus res habet in donatione inter vivos, quæ ſi ſimul acceptata fuerit, ſive ab homine, ſive a jure, amplius revocari nequit. Sed non una legatorum ratio. Nam quæ facta ſunt ad profanas cauſas, ruente teſtamento caduca fiunt; non ita legata ad cauſas pias

(*a*) L. ult. Cod. de Jur. deliber. (*b*) L. 4. D. de adimpl. leg.

pias de jure communi ; quum ſolemnitates pro teſtamento requiſitæ ad ipſa non extendantur. Quin & illud addo, ſi quando ad præſcriptum a teſtatore finem legata pia deſervire nequeant, Epiſcopi, atque executoris eſſe in ſimilem cauſam commutare, ut quoad ejus fieri poſſit, impleatur teſtatoris voluntas. Hæc enim accurate ſervanda eſt; ut quotieſcumque juſte & honeſte impleri poſſit, nulli integrum ſit eam commutare in opus, quantumvis melius: niſi quod juſta de cauſa a Pontifice diſpenſari valet (*a*).

§. 21. Non me latet Sylveſtrum (*b*), Salmanticenſes (*c*), La-Croix (*d*), & quoſdam alios id etiam Epiſcopo conceſſum velle, ſi non jure ordinario, certe, uti explicat Barboſa (*e*), ut Apoſtolicæ Sedis Delegato. Verum alii cum Molina (*f*), quibus etiam adhæret Cuniliati (*g*), minime conceſſum volunt. Diſcordiæ cauſa, ſi quid video, una illa eſt, quod Clement. 2. de Relig. Dom., & Trident. ſeſs. 22. cap. 6. alii aliter interpretentur. Hinc effectum eſt, ut Ligorius negantium ſententiam probabiliorem putet; Pichler e contrario probabiliorem dicat opinionem ajentium. Quum vero non is ego ſim, qui inter tot graviſſimos Auctores poſſim ſedere arbiter, & ſententiam dicere quaſi ex tripode, rem aliis conſtituendam relinquo: ut enim facile dictu eſt, quidnam his, vel illis Auctoribus probabilius viſum fuerit; ſic difficile admodum, & periculoſæ plenum opus aleæ, quidnam revera ſit probabilius, certo definire.

§. 22. Illud

(*a*) V. D. Thom. q. 100. a. 1. (*b*) Verb. *legatum*. (*c*) De leg. cap. 5. (*d*) Lib. 4. num. 849. (*e*) De Poteſt. Epiſc. alleg. 83. (*f*) De juſt. diſp. 249. (*g*) Loc. cit. §. 7.

§. 22. Illud minime neque dubium, neque obſcurum, executores ultimæ voluntatis, quicumque illi fuerint, ſive ex teſtamento, ſive legitimi, ſive dativi, poſſe ab Epiſcopo compelli, ut exequantur teſtatoris voluntatem. Qui ſi deſides fuerint, & teſtamentum intra anni ſpatium, legata pia intra ſex menſes exequi neglexerint, non modo privandi ſunt emolumentis, quæ ipſis e teſtamento proveniunt, ſalva legitima hæredibus neceſſariis; verum etiam res tota ſaltem in cauſis piis de jure communi devolvitur ad Epiſcopum (*a*); quin ipſis concedatur, ut moram purgare queant (*b*). Nihilominus legata conferenda non ſunt, ſi hæredes reluctentur. Eſt enim prohibitio prætoria, ne quis a poſſeſſione deturbetur. Quidnam ergo conſilii capiendum erit? Monendus Epiſcopus, ut hæredem cogat. Poſtquam vero diſtribuendi legata poteſtas ipſis facta ſit, ſi relicta teſtatoris bona ſatis non fuerint ad legata omnia, poſtulat æquitatis ratio, imo & jus legatariis ſingulis adquiſitum, ut quidquid illud bonorum fuerit, diſtribuatur in partes æquales. At omnia rite executi ſunt: numquid vis amplius? Illud dumtaxat, ut geſti negotii rationem reddant. Id vero ut præſtent, ſi eos Epiſcopus coegerit, uſus eſt jure ſuo.

§. 23. Ne tamen ob legatorum copiam vel ipſa negligerentur, vel hæreditas repudiaretur, cautum eſt lege Falcidia, ut nemini liceat ultra dodrantem, ideſt novem uncias legare: ſi quid ultra legatum ſit, tantum ex omnibus legatis liceat hæredi retinere, ut ipſi ſalva maneat quarta hæreditatis. Quemadmodum vero Falcidia legatis, ſic Tre-

(*a*) Ubique fere locorum extra Galliam, uti teſtatur Juenin de ult. volunt. cap. 5. (*b*) Argum. ex cap. 17. h. tit.

Trebellianica fideicommiſſis proviſum eſt: pronum enim erat, ut pleraque extinguerentur, quum nullum hæredi lucrum proveniret. Quapropter cautum eſt Senatus Conſulto Trebelliano, ut hæredi fiduciario quartam hæreditatis, quæ *Pegaſiana* olim dicta eſt, retinere liceat, modo inventarium confecerit (*a*).

§. 24. Relinquuntur autem cum legata, tum fideicommiſſa vel teſtamento, vel codicillo. Siqua enim fuerit *minus ſolemnis teſtatorum inteſtatorumve voluntas* (*b*) abſque directa hæredis inſtitutione, hæc Codicillus eſt. Et quidem, ſi teſtato factus ſimul cum teſtamento vel ſubſiſtit, vel cadit; ſin ab inteſtato, viribus ſuis ſubſiſtit (*c*). Quod ſi contingat, ut in Codicillo hæres nominetur, erit ſubſtitutio fideicommiſſaria, vi cujus hæres ab inteſtato hæreditatem totam, vel ejus partem tenebitur alteri reſtituere. Atque hæc Codicillorum natura eſt. Quare prudenter faciunt, qui teſtamento adjiciunt clauſulam Codicillarem: ſic enim efficitur, ut ſi diſpoſitio nulla fuerit in vim teſtamenti, valeat ſaltem in vim Codicilli. Quod ſi quis executoris munus obire detrectaverit, aget is quidem jure ſuo; nemo enim ut plurimum cogi poteſt, ut hoc onus ſubeat: ſed amittet legata, ſaltem illa, quæ ipſi in præmium muneris relicta ſunt.

§. 25. Hactenus de acquiſitione univerſi juris per conventionem gratuitam media ſucceſſione ſive teſtamentaria, ſive ab inteſtato. Una reliqua eſt conventio ejuſdem generis, qua rei ſingularis dumtaxat adquiritur dominium, ſcilicet donatio. *Collata*

(*a*) Inſtit. h. tit. Cod. ad Senat. Conſult. Trebell.
(*b*) Inſtit. h. tit. (*c*) Cod. h. tit.

lata igitur *in accipientem liberalitas* donatio eſt (*a*). Sed alia conſtat ſolis verbis, alia etiam rei interventu, nimirum traditione. Per priorem adquirimus ſolum jus ad rem; per poſteriorem jus etiam in re, ſive dominium. Utraque ſi ab eo fiat, qui de mortalitate cogitat, erit *donatio mortis cauſa*; ſi nullo reſpectu habito ad mortis caſum, erit *donatio inter vivos*. Quicumque vero rerum dominio, & libera ipſarum adminiſtratione gaudet, is donare poteſt. At cautiones nonnullæ adhibendæ ſunt. Nam pater filio non emancipato ſolum donare poteſt cauſa militiæ ſive armatæ, ſive litterariæ, ſive togatæ. Adde dotis cauſam, tum donationis propter nuptias, quæ fit in ſecuritatem dotis, demum obtinendi dignitatis, ſive honoris gradus. Si quid ultra donatum ob alias cauſas, in diviſione hæreditatis conferendum eſt. Hæc certa, & perſpicua ſunt: illud ambiguum, & obſcurum, an pollicitatio acceptata donationi verbis factæ comparanda ſit; ut proinde non minus peccet, qui non ſtat promiſſis, acceptata promiſſione, atque ille peccaret, qui donationem legitime factam abſque cauſa revocaret. Lælius Apiſtius Tarquiniæ pollicitus eſt dotem, ſi modo voluerit nubere Cajo Torquato. Dum ipſa tacet, acceptat pro filia pater. Verum Apiſtius mutata mente obligatam Tarquiniæ ſummam promittit Xenodochio. Hujus moderator primum acceptationem differt; deinde acceptat poſt dies octo. Sed ante hos dies Apiſtius facti pœnitens pollicitationem revocavit. Multa hic quæri poſſunt, ſed illud in primis, quantum juris adquiſitum fuerit ſive Tarquiniæ, ſive Xenodochio ex pollicitatione Apiſtii.

§. 26. Pri-

(*a*) Inſtit. h. tit.

§. 26. Primum omnium principia quædam conſtituenda ſunt, quibus poſitis, cætera facile ſequentur. Itaque pollicitationis indoles ita deſcribi poteſt, ut ſit; Enunciatio deliberata rei licitæ in futurum præſtandæ ab uno alteri inſinuata (*a*), atque ab eodem acceptata. Duobus igitur pollicitatio maxime conſtat, morali vinculo, quo ſe promiſſor alteri obſtringi vult, & promiſſionis acceptatione. Hinc pollicitatio quidquam amplius eſt præter nudum animi propoſitum. Jam vero promiſſionis acceptatio adeo neceſſaria habetur, ut ſi ipſa deſit, pacti naturam nequeat induere: eſt enim pactum plurium conſenſus, atque conventio. Itaque ſolum offerentis promiſſum (*b*) obligationem parere non poteſt. Commune vero eſt Auctorum placitum acceptare poſſe patrem pro filiofamilias, Monachum pro Monaſterio, tutorem pro pupillo, quemvis pro muliere in favorem dotis, & pro cauſa pia, perſonam publicam pro ſubditis, Prælatum pro ſua Eccleſia. Qua de re ſi quis plura velit, adeat Tiraquellum (*c*), & Card. Manticam (*d*). Verum ſi pollicitatio in pactum abeat, ſi adfuerit plurium in idem placitum & conſenſus, vinculo quodam morali pollicitatorem obſtrictum eſſe nemo non videt.

§. 27. At quo tandem vinculo? Juſtitiæne, an ſolius fidei? Placet generalis formula. In foro interno videndum, qua mente promiſſum ſit; quæ

(*a*) Neque enim aſſentior ſive Ledeſmio apud Aragon. de dominio, ſive Soto 4. de Juſt. q. 5., qui docent, ſi quis promiſſionem, de qua hic agimus, conciperet ſola mente, obſtrictum iri. Mecum eſt D. Thom. q. 88. a. 1.
(*b*) L. *Pactum* D. de pollicit. (*c*) De privileg. cauſ. piæ.
(*d*) Tom. 2. de tacit. convent.

quæ ſi dubia fuerit, cenſebitur promiſſor obligatus ex ſola fide. Vix enim eſt, qui ſe ex juſtitia obligatum credat, niſi vel juratus promiſſerit, vel inſtrumentum confecerit, vel cautionem aliquam dederit, vel in iis *circumſtantiis* pollicitus fuerit, in quibus alii donare ſolent. Addit nonnemo, ſi promiſſio facta ſit ad pias cauſas, in favorem dotis, boni communis. In foro autem civili ſiquidem promiſſio veſtita fuerit, atque exprimatur cauſa, præſumitur obligatio juſtitiæ, & actio conceditur. Ex iis pronum eſt conjicere, eum qui indebite revocat promiſſionem acceptatam, aliqua ſemper teneri culpa, vel læſæ juſtitiæ, vel fidei non perſolutæ. Dixi *qui indebite revocat:* nam ſi promiſſarius remittat, ſi res ipſa inutilis, vel inhoneſta effecta ſit, ſi illa incidunt tempora, in quibus rerum conditiones mutatæ fuerint, impune revocabitur promiſſum.

§. 28. Quibus conſtitutis duo hæc affirmo, quæ ſponte fluunt. Nullum jus rigoroſum Tarquiniæ adquiſitum fuit; ex quo efficitur, ut Apiſtius promiſſionem revocans nihil peccaverit contra juſtitiam: ipſum tamen non eſſe ſine culpa, quia fefellit fidem. Quapropter ut revocatio primi illius promiſſi inhoneſta fuerit, tamen non fuit invalida. Xenodochio autem tantum abeſt, ut juris aliquid comparatum fuerit, ut poſterius promiſſum etiam impune, & ſine culpa revocari potuerit. Tenebatur enim priori ſtare: maxime quum cauſa dotis illis adnumeretur, quas favorabiles vocat Gregorius IX. (*a*), videlicet teſtamentum, libertas, dos, atque conjugium: quibus, quoad fieri po-

(*a*) Gloſs. cap. Final. de ſent. & re judicat.

poteſt, favendum eſt. Hæc ego; potiora probaturus, ſi quis attulerit (*a*).

§. 29. Conſequenter tu quidem, dicit nonnemo: At vide, ne tua illa principia facile convelli queant. Quid? Nonne obligatio promiſſionis acceptatæ tranſit ad hæredes? Quì ergo fieri poſſit, ut nullum ibi adſit juſtitiæ vinculum? Huic reſpondeo, plura eſſe onera *realia*, quæ tranſeunt ad hæredes: verum ſi quis omnia omnino voluerit ad juſtitiam revocare, officia virtuteſque omnes confundat neceſſe eſt. Quid enim, ſi fuerit debitum ex voto, ex pietate, ex gratitudine, ex mera fide? Urget alius: Si fides data violetur in re gravi, homines quidquam concipiunt, quod ſit valde affine injuſtitiæ. Et ipſe fateor: concipiunt debitum quoddam, quod ſiquis non perſolverit, non videtur egiſſe, prout decet virum bonum. Sed illud etiam addo, imprudentiſſimum habendum, qui promiſſionem liberalem perinde urgeret, atque ſolet debitum ex juſtitia. Eſto, reponet alter: de priori hac tuæ opinionis parte nullam tibi ego litem movere volo: At eſt, quod objiciam contra poſteriorem. Promiſſio facta Xenodochio licita fuit, ac proinde valida. Quomodo igitur nulla injuſtitiæ culpa tenebitur Apiſtius, qui revocavit? Fuiſſe vero licitam inde colligo, quod prior facta Tarquiniæ non erat pura, ſed ſub conditione illa, niſi pecuniam deſtinavero in opus melius. Niſi tu hoc admiſeris, prior illa promiſſio quippe impediens majus bonum, inhoneſta tibi dicenda eſt. Quemadmodum enim promiſſio

(*a*) Mihi certe ſuffragatur D. Thom. 2.2. q. 110. a. 3. ad 5. V. Salmant. a num. 80., & Concin. tom. 7. Lugon. diſp. 22. Molin. tom. 2.

miſſio facta Deo, ſi quando impedimento ſit majori bono, ſtulta ac nulla eſt, ſic etiam alia quæcumque.

§. 30. At multum intereſt, mi bone. Deo placere nequit, ſi quis ſeſe obliget ad minus bonum: verum homini ſæpiſſime arridet, quod ipſi bonum eſt, quin cogitet de majori bono. Ne tamen argumentum jam ab initio præcidiſſe videar, agam tecum liberaliter. Fuerit licita poſterior promiſſio: numquid propterea, niſi læſa Juſtitia, revocari non potuit, quum nullus acceptaverit? Imo, inquis; quia facta eſt in cauſam piam: in iis autem promiſſio ſemper valida eſt, quia acceptat Deus. Sed vide, quorſum iſta? Nam ſi hæc ita ſe habent, vel promiſſio quævis ad pias cauſas cum voto confundenda eſt, quod eſſet errare in re graviſſima: vel dicendum omnem omnino promiſſionem licitam vim pacti habere, atque obligare ante acceptationem ex parte promiſſarii. Neque enim poteſt opus bonum non acceptari a Deo. Conſequutionem vero iſtam negabunt Auctores frequentiſſimi. Itaque dicendum eſt probari quidem Deo, ſi quæ promiſſio ad cauſas pias facta ſit; at non acceptari ab ipſo ea ratione, qua ſolet votum. Non enim vult Deus interturbari, atque inverti, quæ in humano commercio poſita ſunt: atqui in hoc genere eſt acceptatio ex parte alterius. Quæ quidem omnia intelligi volo, ſecluſo quolibet damno, quod ex promiſſis non ſervatis conſecutum ſit. Atque hæc de principiis juſtitiæ, & juris, rerumque dominio, pauca illa quidem pro argumenti copia, ſed pro temporis anguſtiis ſatis fortaſſe multa.

FINIS.

MAG 2003901

Digitized by Google